



oportet semper orare
et nunquam deficere
in oratione

Horae Sacrae

vitae [illegible],

[illegible] seu [illegible]

Sacerdos orans ac meditans.

[illegible] Collegit et edidit

[illegible] Carolus Eggert,

Canonicus Ecclesiae Metropolitanae ad B. M. V. Monachii.



Cum Approbatione reverend. [illegible]
Monacensis et Frisingensis.

Cum quatuor figuris [illegible]

Ratisbonae, [illegible]

Sumtibus [illegible]

Horae Sacrae

vitae sacerdotalis,


seu

Sacerdos orans ac meditans.

Collegit et edidit

Carolus Eggert,

Concionator Ecclesiae Metropolitanae ad B. M. V. Monachii.



Cum Approbatione reverend. Ordinariatus Archiepiscop. Monacensis et Frisingensis.

Cum duabus figuris aeneis.

Ratisbonae, 1841.

Sumtibus **G. Jos. Manz.**

„Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma."

Matth. XXVI. 41.

Horae sacrae

vitae sacerdotalis.

Pars I.

„Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.“

Matth. XXVI. 41.

Horae sacrae

vitae sacerdotalis.

Pars I.

Adhortatio ad orandum.

Christus ad sacerdotem.

Hoc est opus tuum, fili, orationi et ministerio verbi instantem esse. Ego pernoctavi in oratione, ut tu disceres orare, et sine intermissione orare.

Homines, qui in aëre vivunt, suspirant continuo in aërem, ut aëris spiritum adtrahant. Tu sacerdos, qui de coelis vivere debes, ad coelum indesinenter suspira, ut coelestem spiritum adtrahas.

O fili! Quam necessarium est, ut ego dirigam omnes gressus et actus tuos, in ministerio, quod exercendum suscepisti! Quam grande est! quam sanctum, quam periculosum! Tene ergo oculos mentis tuae semper elevatos ad Patrem, qui habitat in Coelis; ad me, qui ad dexteram ejus sedeo: ut inde continuum tibi veniat auxilium; ut recipias fortitudinem; ut assumas pennas, sicut aquilae; ut curras, et non labores; ut ambules, et non deficias; ut perficiantur gressus tui in semitis meis, et non moveantur vestigia tua.

Sic per orationem adtraxit sibi maximum sanctitatis spiritum Jacobus, quem elegeram Apostolum. Genua enim ejus, prae orationis frequentia, instar cameli occaluerant.

Sic Martinus, qui nec in vita, nec in morte, invictum ab oratione spiritum relaxavit.

Sic Carolus, qui in summis negotiis, etiam tres aut quatuor horas, imo dies integros, et ubi liberior erat, noctes ipsas orationi impendebat. O fili! potes, quod isti, et ipse. O si animum haberes! O si gustares! Videres, quam suavis sit Dominus orantibus!

Invenitur ubique a quaerentibus, aperit pulsantibus, annuit petentibus. Gusta et vide!

Fili! surgat tecum oratio; nocte in lectulo vigilet; dicat tecum psalmos in Officio; praecedat, et sequatur te in Ecclesia; sedeat tecum, dum manducas et bibis; gratias agat, cibo sobrie sumpto.

Transeat tecum in labore diurno; adsit in cubiculo; mundet te vespere a sordibus, quas contraxisti in mundi luto; somno cedenti tibi claudat oculos; habitet semper tecum.

Vides, fili, hic tibi commendo non eam tantum orationis speciem, quae ore et animo simul, juxta canonicam regulam perficitur: sed etiam illam, quae secreto in corde fit.

O fili! orationem igitur ne negligas: brevi esses sal infatuatum, lucerna sine ardore et sine lumine!

Ad obtinendam cordis compunctionem in oratione.

(ex S. Anselmo.)

Ignosce, Domine, ignosce et miserere, parce ignorantiae et multae imperfectioni meae. Noli me tanquam temerarium reprobare, quod audeam ego servus inutilis te omnipotentem Deum nostrum terribilem et nimis metuendum sine cordis contritione et lacrymarum fonte, sine reverentia debita et tremore laudare, benedicere atque adorare. Si enim Angeli te adorantes et laudantes tremunt mira exultatione repleti: ego peccator dum tibi assido, laudes dico, sacrificium offero; cur non corde paveo, vultu palleo, labiis tremo, toto corpore inhorresco, sicque obortis lacrymis coram te indesinenter lugeo? Volo, sed non valeo; quia nequeo, quod desidero. Tu igitur, dives in misericordia, et largus in praemiis, da mihi de bonis tuis, ut ex eis serviam tibi; dator enim omnium bonorum Deus; da mihi inter laudes tuas fontem lacrymarum simul cum cordis puritate et mentis jubilatione; ut perfecte te diligens, et digne te laudans ipso cordis palato sentiam, gustem et sapiam, „quam dulcis et suavis sis Domine," sicut scriptum est.

Cultus Dei trini.

Precationes salutares ad Sanctiss. Dei Trinitatem.

Precatio prima ad S. Trinitatem.

B. Aug. cap. 32. medit.

Te, o beata Trinitas, labiis et corde, omnique qua valeo virtute, laudo, benedico, atque adoro.

tuaeque clementiae et bonitati pro universis beneficiis tuis gratias refero, et hymnum gloriae tuae cano, Sanctus, Sanctus, Sanctus; Te invoco, ut venias in me et templum me facias dignum Gloriae tuae.

Rogo patrem per Filium, rogo Filium per Patrem, rogo Spiritum sanctum per Patrem et Filium, ut omnia vitia elongentur a me, et omnes sanctae virtutes plantentur in me; custodi me, opus manuum tuarum in te sperantem, et in tua solummodo Misericordia confidentem. Custodi me, quaeso hic et ubique, nunc et semper, intus et foris, ut in me nullus pateat locus insidiis inimicorum.

Tu es Deus omnipotens, custos et protector omnium in te sperantium, sine quo nemo est tutus, nemo de periculis liberatus. Tu es Deus, et non est alius Deus praeter te, neque in coelo sursum, neque in terra deorsum, qui facis magnalia et mirabilia, et inscrutabilia, quorum non est numerus.

Tibi debetur laus, tibi debetur honor, tibi debetur hymnus; tibi omnes angeli, tibi coeli et universae potestates hymnos dicunt, et laudes indesinenter concinunt, utpote Creatori creaturae, Domino servi, Regi milites; te sanctam et individuam Trinitatem omnis creatura magnificat, omnis spiritus laudat.

Precatio secunda ad S. Trinitatem.

(Id. cap. 33. medit.)

Tribue, Domine, ut, donec in hoc fragili corpore positus sum, laudet te cor meum, laudet te

lingua mea, et omnia ossa mea dicant: „Domine, quis similis tui?“ Tu es Deus omnipotens, quem trinum in personis, et unum in substantia Deitatis colimus et adoramus, Patrem ingenitum, Filium de Patre unigenitum, Spiritum sanctum de utroque procedentem, et in utroque permanentem, Sanctam et individuam Trinitatem, unum Deum omnipotentem; qui, cum non essemus, potenter fecesti nos, et cum perditi fuissemus culpa nostra, pietate et bonitate tua mirabiliter recuperasti nos, ne sinas nos esse ingratos, obsecro, tantis beneficiis, et indignos tam multis miserationibus.

Te deprecor, supplico et rogo, auge Fidem, auge Spem, auge Charitatem. Fac nos per ipsam gratiam tuam semper in Fide stabiles, et in Opere efficaces, ut per Fidem rectam, et condigna Fidei opera, ad vitam te miserante perveniamus aeternam, ut ibi videntes Gloriam tuam, sicuti est, adoremus Majestatem tuam, et dicamus pariter, quos dignos feceris videre Gloriam tuam.

Gloria Patri, qui creavit nos, Gloria Filio, qui redemit nos, Gloria Spiritui sancto, qui sanctificavit nos; Gloria summae et individuae Trinitati, cujus opera inseparabilia sunt, cujus imperium sine fine manet. Tibi debetur laus, Tibi debetur hymnus, Tibi debetur omnis honor, Tibi benedictio et claritas, Tibi gratiarum actio, Tibi honor, virtus et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum. Amen. —

Precatio tertia ad S. Trinitatem.

(Id. cap. 37. solilo.)

O Tres coaequales et coaeternae personae, Deus unus et verus Pater et Filius et Spiritus Sanctus, qui solus habitas aeternitatem et lucem inaccessibilem, qui fundasti terram in potentia tua, et regis orbem terrae prudentia tua, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Terribilis et fortis, justus et misericors, admirabilis, laudabilis, amabilis, Unus Deus, Tres personae, una essentia, potentia, sapientia, bonitas, una et individua Trinitas.

Aperi mihi clamanti portas justitiae et ingressus in eas confitebor tibi Domine. En ad ostium tuum, summe Paterfamilias mendicus pulso; jube aperiri pulsanti, qui dixisti: „Pulsate, et aperietur." Pulsant enim ad ostium tuum, Pater misericordiae, desideria rugientium praecordiorum meorum, et clamores lacrymarum oculorum meorum. Ante te est omne disiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. Et tu, Domine, ne avertas faciem tuam amplius a me, neu declines in ira a servo tuo.

Pater misericordiarum audi ejulatum pupilli tui, et porrige manum tuam optimam adjutricem, ut retrahat me de profundis aquarum, et de lacu miseriae, et de luto fecis, ne peream vidente Misericordia oculorum tuorum, aspiciente Clementia viscerum tuorum; sed evadam ad te, Dominum Deum meum, ut videam divitias Regni tui, et intuear Faciem tuam semper, et laudem dicam Nomini tuo sancto. Do-

mine, qui facis mirabilia, qui cor meum laetum facis memoria tui, qui illuminas juventutem meam, ne despicias senectutem meam, sed jubilare facias ossa mea, et reviviscere facias, ut aquilae, canos meos.

Hymnus ad Sanctiss. Trinitatem.

O Aeviterna Trinitas!
Et principalis Unitas:
Fili, Paterque maxime, —
Utrique compar Spiritus.
Te semper absque termino
Timent, adorant, praedicant
Coelestia et terrestria.
Et tota mundi machina.
Et nos pusillus debitis
Grex resonamus laudibus,
Totis medullis cordium,
Totis canentes viribus.
Te, fons salutis, Trinitas,
Collaudet omnis spiritus,
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde praemium.
Amen.

V. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.

R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Antiphona. Benedictus sit Deus, creator et gubernator omnium, sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita saecula saeculorum.

V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione verae fidei, aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare Unitatem, quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum.

Litania de Sanctiss. Trinitate.

Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.
O beata Trinitas, Audi nos.
O adoranda Unitas, Exaudi nos.
Pater de coelis Deus,
Fili, Redemptor mundi, Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Vera et una Trinitas,
Una et summa Deitas,
Sancta et indivisa Unitas,
Unitas in substantia, et Trinitas in personis,
Una et par potentia,
Una et coaeterna Majestas,
Una et aequalis gloria,
Una et divina Trinitas,

} Miserere nobis!

Pater Creator,
Fili Reparator,
Spiritus sancte Paraclite,
Deus unus in substantia, et trinus in personis,
Pater ingenite,
Fili unigenite,
Spiritus Sancte, ex utroque procedens,
Deus trine omnium creator et gubernator,
Immensa aeterni Patris potentia,
Inscrutabilis Filii Dei sapientia,
Efficacissima Spiritus Sancti bonitas,
Una et simplex Divinitas,
Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus et immortalis,
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth,
In quo vivimus, movemur, et sumus,
Ex quo, in quo, et per quem sunt omnia,
Rex saeculorum immortalis et invisibilis,
Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob,
Qui eras, qui es, et qui venturus es, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus unus Deus,

Miserere nobis!

Propitius esto, Parce nobis SS. Trinitas,
Propitius esto, Exaudi nos SS. Trinitas,
Ab omni malo, Libera nos „ „
Ab omni peccato,
Ab omni superbia et pertinacia,
Ab omni avaritia et cupiditate,
A gula et amore mundi,
Ab omni invidia et odio,

Libera nos SS. Trinitas!

Ab ira et omni mala voluntate,
Ab omni luxuria et immunditia,
Ab omni acedia et pusillanimitate,
A maledictione perpetua,
Per fortitudinem omnipotentiae tuae,
Per Majestatem gloriae tuae,
Per abundantiam bonitatis tuae,
Per magnitudinem charitatis tuae,
Per multitudinem miserationum tuarum
Per abyssum judiciorum tuorum,
Per altitudinem sapientiae et scientiae tuae,
Per divitias beatitudinis tuae,

Libera nos SS. Trinitas!

In die Judicii, — libera nos SS. Trinitas
Peccatores, — Te rogamus, audi nos.

Ut te Dominum Deum nostrum adoremus, et tibi soli serviamus,
Ut nomen sanctum tuum in vanum non assumamus,
Ut Ecclesiae dies festos observemus et sanctificemus,
Ut superiores nostros obediendo et subveniendo honoremus,
Ut nec mente, nec corpore turpia unquam committamus,
Ut contra proximum falsum testimonium, vel mendacium nunquam loquamur,
Ut proximi bona nunquam concupiscamus aut invideamus,
Ut ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota fortitudine te diligamus,
Ut proximum propter te, sicut nos ipsos, sincere diligamus,

Te rogamus audi nos!

Ut ad conspectum gloriae tuae nos perducere digneris,
Deus Genitor, Deus Genite, Deus ex utroque procedens,
} Te rogamus audi nos!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Redde nobis Patrem propitium.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Propitius esto nobis peccatoribus.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Dona nobis Spiritum Sanctum.
O beata Trinitas, Audi nos.
O adoranda Unitas, Exaudi nos.
Kyrie eleison, Christe eleison,
Kyrie eleison, Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem,
R. Sed libera nos a malo.
V. Benedictus es, Domine Deus Patrum nostrorum.
R. Et laudabilis et gloriosus in saecula.
V. Benedictus es Domine in firmamento coeli.
R. Et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula.
V. Benedicant te omnes Angeli, et Sancti tui.
R. Et laudent te, et glorificent in saecula.
V. Benedicant te coeli, mare, terra, et omnia, quae in eis sunt.
R. Et laudent te, et glorificent in saecula.
V. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.
R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus!

Omnipotens, sempiterne Deus, infirmitatem nostram propitius respice: atque ad protegendum et salvandum nos dextram tuae Majestatis clementer extende, Per Dominum nostrum. —

Hymnus S. S. Ambrosii et Augustini.

Te Deum laudamus: te Dominum confitemur.
Te aeternum Patrem omnis terra veneratur:
Tibi omnes Angeli: tibi coeli, et universae potestates:
Tibi Cherubim et Seraphim incessabili voce clamant:
Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt coeli et terra: majestatis gloriae tuae.
Te gloriosus Apostolorum chorus,
Te Prophetarum laudabilis numerus,
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia:
Patrem immensae Majestatis, Venerandum tuum verum et unicum Filium;
Sanctum quoque Paraclitum Spiritum:
Tu rex gloriae Christe:

Tu Patris sempiternus es Filius;
Tu liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis uterum:
Tu devicto mortis aculeo: aperuisti credentibus regna coelorum.
Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris.
Judex crederis esse venturus.
Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni: quos pretioso sanguine redemisti, aeterna fac, cum Sanctis tuis, in gloria numerari.
Salvum fac populum tuum, Domine: et benedic hereditati tuae:
Et rege nos, et extolle illos usque in aeternum.
Per singulos dies benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in saeculum: et in saeculum saeculi.
Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire.
Miserere nostri Domine, miserere nostri.
Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.
In te, Domine, speravi: non confundar in aeternum.

V. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.
R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.
V. Domine, exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus:

Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae Majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam sem-

per clementiam exorantes: ut, qui potentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas. Amen.

Cultus Dei Patris.

Precatio prima ad Patrem.

(Cyp. autor esse scribitur.)

Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi Filii tui, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus Credentium: Te deprecor, Pater Majestatis, qui in fine temporum misertus es nostri, mittens nobis Jesum Christum, Filium tuum Dominum Deum salvatorem nostrum, natum ex Maria Virgine, de Spiritu sancto, annuntiante Gabriele Angelo, per quem nos liberasti de periculo mortis imminentis.

Te rogo, Domine, subveni mihi, noli me secundum actus meos judicare: non enim parui praeceptis tuis; sed omologesin facientis ante conspectum tuum pro universis peccatis meis, qui es amator poenitentiae, miserere mei. Et, ut David orat, Domine propter Nomen tuum dele peccata mea; ita et ego deprecor Majestatem tuam, dele universa peccata mea.

Fac, ut Fide illibata, mente incorrupta, devotione robusta, Dilectione et Operatione continua, in Ecclesia tua sancta persistam, et libera me ab igne et poena perenni, et ab omni tormento, quod parasti

iniquis, per bonum et benedictum Jesum Salvatorem nostrum; per quem tibi laus, honor, virtus, et gloria in saecula saeculorum. Amen. —

Precatio altera ad Patrem.

(Jo. Ferus in libello precation.)

Pater de coelis, Deus miserere nobis, Omnipotens aeterne Deus, Coelestis Pater, qui coaeternum tibi et consubstantialem Filium genuisti, cum eodem et Sancto Spiritu, ex te Filioque tuo procedente, omnia condidisti:

Te adoramus, glorificamus, laudamus, et magnificamus, gratias agimus tibi ex toto corde pro omnibus beneficiis tuis, Paterna illa tua dilectione nobis exhibitis. Praecipue tamen, quod unicum, unice tibi dilectum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum in hunc mundum Salvatorem, Redemptorem et Mediatorem, per quem solum haberemus salutem, miseris.

Sed et precamur te, o pater Coelestis, per eundem Filium tuum Dominum nostrum, propitius esto nobis; opus manuum tuarum dirige, et propter sanctum nomen tuum adjuva nos. Pater noster &c.

Canticum trium puerorum.

(Danielis. 3.)

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite coeli Domino.

Benedicite aquae omnes, quae super coelos sunt, Domino: benedicite, omnes virtutes, Domini Domino.

Benedicite sol, et luna Domino: benedicite stellae coeli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et aestus Domino: benedicite frigus et aestus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino: benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino: benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebrae Domino: benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum; laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite montes et colles Domino: benedicite universa germinantia, in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete, et omnia, quae moventur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres coeli Domino.

Benedicite omnes bestiae et pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino: benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus et animae justorum Domino: benedicite Sancti et humiles corde Domino:

Benedicite Anania, Azaria, Misaël Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicamus Patrem, et Filium cum Sancto Spiritu; laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Benedictus es, Domine in firmamento coeli: et laudabilis et gloriosus, et superexaltatus in saecula.

Litania ad Deum Patrem.

Kyrie eleison; Christe eleison; Kyrie eleison.
Pater sancte, audi nos.
Pater juste, exaudi nos.

(Miserere nobis!)

Pater de coelis Deus,
Fili, redemptor mundi, Deus,
Spiritus, Sancte Deus,
S. Trinitas, unus Deus,
Pater noster, qui es in coelis,
Benedictus Deus et Pater Domini nostri J. Christi,
Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis,
Qui consolaris nos in omni tribulatione nostra,
Pater Deus, benedictus in saecula,
Pater, quaerens adoratores in Spiritu et veritate,
Pater, ex quo omnia,
Pater gloriae et Dominus coeli et terrae,
Qui misisti Filium tuum unigenitum in mundum, ut vivamus per eum,
Pater Christi, qui usque modo operaris.

Pater D. N. J. Ch. ex quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur,
Qui elegisti nos in filios ante mundi constitutionem,
Qui praedestinasti nos in adoptionem filiorum per J. Chr.,
Qui mysteria abscondis a prudentibus, et revelas a parvulis,
Qui benedixisti nos omni benedictione spirituali in coelestibus,
Qui dimittis nobis peccata nostra,
Qui elegisti nos, ut essemus sancti et immaculati in conspectu tuo,
Qui das spiritum bonum petentibus a te,
Pater luminum, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit,
Pater vivificans, et mortuos suscitans,
Pater videns in abscondito,
Pater habens vitam in temetipso,
Agricola usque modo operans,
Qui solem tuum oriri facis super bonos et malos,
Qui pluis super justos et injustos,
Qui numerasti omnes capillos capitis nostri,
Qui proprio Filio non pepercisti, sed pro nobis omnibus tradidisti illum,
Qui vocasti nos in societatem Filii tui,
Qui gratificasti nos in dilecto Filio tuo,
Cujus Filius servi formam accepit, ut servos redimeret,
Qui transtulisti nos in Regnum Filii dilectionis tuae,

} Miserere nobis!

Qui dignos nos fecisti in partem sortis sanctorum,
Qui ad nuptias Filii tui nos vocasti,
Qui dilexisti nos, et dedisti consolationem aeternam,
Qui sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares,
Qui voce de coelo delapsa, a magnifica gloria, clarificasti Filium tuum,
Qui tibi in Filio tuo bene complacuisti,
Cui complacuit dare nobis regnum,
Cujus faciem semper vident Angeli in coelis,
Qui talem charitatem dedisti nobis, ut Filii tui nominemur, et simus,
Qui voluisti, nos conformes fieri imagini Filii tui,
Qui regnum electis tuis a mundi constitutione parasti,
Qui sine acceptione personarum judicas secundum opus uniuscujusque,
In cujus domo mansiones multae sunt,
Pater, cui omnia sunt possibilia,
Pater, qui diligis Filium, et omnia dedisti in manus ejus,
Sine quo nemo venit ad Filium, nisi tu, Pater, traxeris eum.

Miserere nobis!

Propitius esto; Parce nobis Domine.
Propitius esto; Exaudi nos Domine.
Propitius esto; libera nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
A potestate satanae, libera nos Domine.

Ab ira, odio, et omni mala voluntate, libera nos Domine.

Ab imminentibus peccatorum periculis, libera nos Domine.

A morte perpetua,
Per altissimam, qua intueris abyssos, scientiam tuam,
Per immensam, qua omnia ex nihilo creasti, potentiam tuam,
Per suavem, qua cuncta gubernas, providentiam tuam,
Per aeternam, qua mundum dilexisti, charitatem tuam,
Per infinitam, qua omnia imples, bonitatem tuam,
In die Judicii,
} Libera nos, Domine!

Peccatores, Te rogamus, audi nos.

Ut nomen tuum semper et ubique sanctificetur,
Ut regnum tuum nobis advenire concedas,
Ut voluntas tua semper in nobis fiat, sicut in coelo et in terra,
Ut panem nostrum quotidianum nobis dare digneris,
Ut debita nostra nobis clementer dimittere digneris,
Ut nos sub umbra alarum tuarum protegere, et ex omni tentatione eripere digneris,
Ut nos ab omni malo liberare digneris,
Ut spiritum bonum petentibus a te dare digneris,
} Te rogamus, audi nos!

Ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur,
Pater in nomine Filii tui,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi etc.
} Te rogamus audi nos!

Ut des nobis, secundum divitias gloriae tuae, virtute corroborari per Spiritum tuum in interiorem hominem. —

V. Protector noster, aspice nos Deus.
R. Et respice in faciem Christi tui.
V. Memento nostri Domine in beneplacito tuo.
R. Visita nos in salutari tuo.
V. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
R. Et salutare tuum da nobis.
V. Domine Deus virtutum converte nos.
R. Ostende faciem tuam, et salvi erimus.
V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur, bonis operibus abundare.

Deus, celsitudo humilium, et fortitudo rectorum, qui per unigenitum Filium tuum, ita mundum erudire dignatus es, ut omnis illius actio nostra fieret instructio; excita in nobis Spiritus tui fervorem, ut quod ille verbo et exemplo salubriter docuit, nos efficaciter imitari valeamus.

Deus, a quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis, ut cogitemus te inspirante, quae recta sunt, et te gubernante eadem faciamus. P. D. N. J. C.

Cultus Dei Filii.

Ad Christum.

(Ex S. Anselmo.)

Oratio humilis.

Scio Domine Jesu Christe, scio, et fateor, me non esse dignum, quem tu diligas; sed certe tu non es indignus, quem ego diligam. Indignus quidem sum, qui tibi serviam; sed non es tu indignus servitio creaturae tuae. Da mihi ergo, Domine, unde tu es dignus; et ero dignus, unde sum indignus. Fac me, quomodo vis, a peccatis cessare; ut, quomodo debeo, possim tibi servire. Concede mihi per tuam piissimam misericordiam sic custodire, regere, et finire vitam meam, ut in pace dormiam, et requiescam in te. Praesta mihi, Domine, ut in fine recipiat anima mea somnum cum requie, requiem cum saturitate, saturitatem cum aeternitate, per D. N. J. C. Amen.

Precatio ad Filium.

(Cypr.)

Domine Jesu Christe, qui fecisti coelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt, et profundum abyssi intueris; qui super undas maris siccis pedibus ambulasti, et Petrum mergentem manu erexisti, et Paulum de naufragio liberasti; libera nos a magnis fluctibus hujus pelagi, ut viventes benedicamus nomini tuo in saecula.

Mittere etiam, Domine, dignare sanctum Angelum tuum de coelis, ut sit dux vitae nostrae, sicut Tu fuisti quondam dux populo tuo, quum eduxist eum de terra Aegypti fortitudine magna et manu tua valida; et perduc nos recto itinere ad locum optatum regnum tuum, ubi cum Patre et Spiritu S. vivis et regnas, Deus in saecula saeculorum. Amen. —

Precatio alia ad Jesum Christum.

(S. Aug. soliloq. c. 35.)

Spes humani generis Christe, refugium nostrum et virtus, cujus lumen a procul inter caliginosas nebulas, super maris procellas, quasi stellae maris radius, oculos nostras irradiat, ut dirigamur ad te portum:

Guberna, Domine, navem nostram tua dextera, clavo Crucis tuae, ne pereamus in fluctibus, ne nos demergat tempestas aquae, ne absorbeat nos profundum: sed virtute Crucis trahe nos ab hoc pelago ad solamen unicum nostrum, quod a procul, quasi stellam matutinam et solem justitiae, vix lacrymantibus oculis, in littore coelestis Patriae nos exspectans videmus.

En ad te clamamus redempti tui, sed et nunc exules tui, quos pretioso Sanguine tuo redemisti; exaudi nos Deus, salutaris noster, spes omnium finium terrae et marium vastorum. In mari turbulento versamur, tu in littore stans adspicis pericula nostra, salves nos fac propter Nomen tuum; da, ut salva nave et mercibus securi perveniamus ad portum. Amen. —

Festa D. N. J. C.

In Adventu Domini.

Ecce Dominus veniet, et omnes sancti ejus cum eo, et erit in die illa lux magna. Alleluja. —

Suscipe verbum Virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum transmissum est. Concipies et paries Deum pariter et hominem, ut benedicta dicaris inter omnes mulieres. —

Hymnus.

(D. Ambrosius.)

En clara vox redarguit,
Obscura quaeque personans:
Procul fugentur somnia;
Ab alto Jesus promicat.

En Agnus ad nos mittitur,
Laxare gratis debitum:
Omnes simul cum lacrymis
Precemur indulgentiam:

Mens jam resurgat torpida,
Non amplius jacens humi:
Sidus refulget jam novum,
Ut tollat omne noxium.

Ut, cum secundo fulserit,
Metuque mundum cinxerit,
Non pro reatu puniat,
Sed nos pius tunc protegat.

Virtus, honor, laus, gloria,
Deo Patri, cum Filio,
Sancto simul Paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

V. Rorate coeli de super, et nubes pluant justum.
R. Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

Oratio.

Excita, quaesumus Domine, potentiam tuam et veni: ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante salvari. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

In Vigilia Nativitatis Domini.

Oratio.

Deus, qui nos redemptionis nostrae annua expectatione laetificas, praesta, ut Unigenitum tuum, quem Redemptorem laeti suscipimus, venientem quoque judicem securi videamus, Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus: in saecula saeculorum. Amen.

Festo Nativitatis Domini.

Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei; non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.

Hymnus.

(D. Bernardus.)

Laetabundus exultet fidelis chorus:
Alleluja!
Regem regum intactae profudit thorus:
Res miranda.
Angelus consilii natus est de Virgine
Sol de stella.
Sol occasum nesciens: stella semper rutilans.
Semper clara.
Sicut sidus radium, profert Virgo Filium,
Pari forma:
Neque sidus radio, neque mater filio
Fit corrupta.
Cedrus alta Libani conformatur
hyssopo
Valle nostra:
Verbum ens Altissimi corporari
passum est,
Carne sumpta.
Isaias cecinit, synagoga meminit,
nunquam tamen desinit,
Esse caeca:
Si non suis vatibus, credat vel gentilibus,
Sibyllinis versibus
Haec praedicta.
Infelix, propera, crede vel vetera: cur damnaberis,
Gens misera?
Quem docet littera, natum considera:
Ipsum genuit puerpera.
Alleluja!

V. Sit nomen Domini benedictum!
R. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Oratio.

(Ex Vener. L. Blosio.)

Ave dulcis Jesu: laus tibi, et honor, et gloria Christe, qui propter me dignatus es e Regalibus sedibus, et mellifluo corde Patris in hanc miseriarum vallem descendere, atque in Virginis Mariae castissimo utero de Spiritu sancto concipi, incarnari, homoque fieri. Elige, quaeso, tibi cor meum, in quo habites: hoc exorna, hoc bonis spiritualibus reple, hoc totum posside. Utinam ego te in illud humilitate profunda invitem, ardentique charitate recipiam, et receptum teneam! Utinam tam validis amoris vinculis tibi astringar, ut nunquam recedere, nunquam mente averti a te possim! Amen.

Adoro, laudo, et glorifico te, tibique gratias ago, o Fili Dei vivi, Jesu dulcissime: qui dignatus es propter me tener infantulus in stabulo nasci, panniculis involvi, in praesepio reclinari, super foenum et stipulas jacere, virgineisque uberibus lactari. Dignatus es pauper et egenus fieri, ut me divitem faceres. Ecce procido in spiritu ante sanctum tuum praesepium, et rursum te adoro Dominum meum, Regem Angelorum. Ave puer amabilis, Deus excelse, Jesu suavissime: ave princeps pacis, lux gentium, Salvator desiderabilis. Suavis Jesu, re-

cordare, quaeso, pietatis et charitatis tuae, recordare magnae indigentiae meae, et miserere mei. Sanctifica per dignissima membra tua omnia membra mea. Da mihi plenam peccatorum veniam, et spiritum bonum. Da, ut pro modulo mèo imiter tuam humilitatem, resignationem, patientiam, charitatem et ceteras amabiles virtutes tuas. Fac, ut tibi placeam. Sit nomen tuum, et nomen Matris tuae, benedictum in saecula. Amen.

Festo Circumcisionis.

V. Verbum caro factum est, alleluja.

R. Et habitavit in nobis, alleluja.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer: vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.

Oratio.

Ave dulcis Jesu: laus tibi, et honor, et gloria Christe, qui die octavo ceterorum more circumcidi, propriumque Sanguinem adhuc infans fundere, et in singulare nostri solatium Jesus appellari voluisti. Utinam me ab omni cogitatione, verbo et opere pravo circumcisum, in filiorum tuorum numerum adscribas! Tu, Domine, vocaris Jesus, hoc est, salvator: tuum igitur est, donare salutem. Depellat, quaeso, a me omnem inordinatam pusillanimitatem recordatio istius optatissimi nominis tui, mihique inviolabilem erga te fiduciam praestet. Ejus virtute

tamquam impenetrabili scuto protege me adversus omnes insidias, omniaque molimina hostium invisibilium.

Hymnus.

Noxium Christus simul introivit
Innocens orbem: Pater, inquit, adsum;
Vindices poscat-venio paratus —
Ultio poenas.

Non placet fusus cruor hostiarum:
Quod mihi aptasti, Pater, ecce corpus;
Agnus implebo moriens figuras
Verus inanes.

Dixit, et Patris veneratus iram,
Sustinet vulnus silicis cruentae;
Et jugum legis subit ipse, servis
Ut juga demat.

Jam nihil carnem spoliare prodest;
Sed malas cordis resecare fibras,
Hoc opus: tali nova sanciuntur
Foedera lege.

Summa laus Patri, simul aequa Nato,
Qui suo mundum redimit cruore:
Par sit amborum tibi laus per omne,
Spiritus, aevum.

Litania de SS. Nomine Jesu.

Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus,
Fili, Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Jesu, Fili Dei vivi,
Jesu potentissime,
Jesu perfectissime,
Jesu gloriosissime,
Jesu mirifice,
Jesu jucundissime,
Jesu fidelissime,
Jesu carissime,
Jesu amabilis,
Jesu admirabilis,
Jesu delectabilis,
Jesu honorabilis,
Jesu humillime,
Jesu pauperrime,
Jesu mitissime,
Jesu dulcissime,
Jesu patientissime,
Jesu obedientissime,
Jesu castissime,
Jesu, amator castitatis,
Jesu, amator pacis,
Jesu, amor noster,

(Pater de coelis Deus … Jesu, amor noster:) **Miserere nobis!**

Jesu, armarium perfectionis,
Jesu, Salvator mundi,
Jesu, speculum vitae,
Jesu, exemplar virtutum,
Jesu, zelator animarum,
Jesu, refugium nostrum,
Jesu, pater pauperum,
Jesu, consolatio afflictorum,
Jesu, thesaurus fidelium,
Jesu, bone pastor ovium,
Jesu, lux vera,
Jesu, sapientia aeterna,
Jesu, bonitas infinita,
Jesu, gemma pretiosa,
Jesu, gaudium Angelorum,
Jesu, rex Patriarcharum,
Jesu, inspirator Prophetarum,
Jesu, magister Apostolorum,
Jesu, doctor Evangelistarum,
Jesu, fortitudo Martyrum,
Jesu, lumen Confessorum,
Jesu, sponse Virginum,
Jesu, corona Sanctorum omnium,

} Miserere nobis!

Propitius esto, Parce nobis Jesu.
Propitius esto, Exaudi nos Jesu.
Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
Ab insidiis diaboli,
A peste, fame, et bello,
A transgressione mandatorum tuorum,

} Libera nos Jesu!

Ab incursu omnium malorum,
Per incarnationem tuam,
Per adventum tuum,
Per nativitatem tuam,
Per circumcisionem tuam,
Per dolores tuos,
Per flagella tua,
Per coronationem tuam,
Per mortem tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,
Libera nos Jesu!

Per gaudia tua, Libera nos Jesu.
Per gloriam tuam, Libera nos Jesu.
Per dulcissimam Virginem, Matrem tuam, Libera nos Jesu.
Per intercessionem omnium Sanctorum tuorum, Libera nos Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis Jesu.
Jesu Christe, audi nos, Jesu Christe, exaudi nos.
Kyrie eleison, Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster. Et ne nos etc.
Sit nomen Domini benedictum.
Ex hoc, nunc, et usque in saeculum.

Oratio.

(S. Augustini.)

Domine Jesu, noverim te, et noverim me,
Nec quidquam cupiam, nisi te!
Ut oderim me, et amem te:
Quidquid amo, amem propter te.
Humiliem me, exaltem te:
Nihil cogitem, nisi te.
Mortificem me, et vivam in te:
Quaecunque eveniant, accipiam a te.
Persequar me, sequar te:
Semperque optem, sequi te.
Dignus sim, qui defendar a te.
Timeam mihi, timeam te.
Simque de electis a te!
Diffidam mihi, fidam in te.
Obedire velim propter te:
In nullo afficiar, nisi in te:
Adspice me, ut diligam te:
Voca me, ut videam te.
Et in aeternum potiar te. Amen.

Hymnus.

(En Breviario Coloniensi.)

Gloriosi Salvatoris
Nominis praeconia,
Quae in corde genitoris
Erant ante saecula,
Angelorum juncta choris
Pandat nunc Ecclesia.

Jesu nomen adorandum,
Nomen summae gloriae;
Nomen semper meditandum
In valle miseriae;
Nomen digne venerandum
Supernorum curiae. —

Nomen Jesu praedicatum
Melos est auditui:
Nomen istud invocatum
Dulce mel est gustui:
Jubilus est cogitatum
Devoto spiritui.

Jesu nomen exaltatum
Jure super omnia,
Nomen mire formidatum
Effugans daemonia,
Ad salutem nobis datum
Divina clementia.

Nomen ergo tam beatum
Veneremur cernui;
Sit in corde sic formatum,
Ut non possit erui,
Dum in coelis Potestatum
Conjungamur coetui.

Genitori, genitoque,
Laus, et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio,
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.

Festo Epiphaniae Domini.

Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus: hodie stella magos duxit ad praesepium: hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias: hodie in Jordane a Joanne Christus baptizari voluit, ut salvaret nos. Alleluja!

Oratio.

Deus, qui magos ex oriente profectos, ut recens natum in Bethlehem Filium tuum inviserent ac honorarent, mirabiliter illustrasti: tribue nobis, quaesumus, ut eorum exemplo et intercessione adjuti, veraque fide in hujus mundi tenebris illuminati, te lumen aeternum agnoscamus, atque inter prospera et adversa tuto gradiamur, donec ad te, qui lucem habitas inaccessibilem, remotis impedimentis omnibus, expediti perveniamus. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hymnus.

(Ex Breviario ordinis S. Dominici.)

A Patro Unigenitus
Ad nos venit per Virginem:
Baptisma cruce consecrans,
Cunctos fideles generans.

De coelo celsus prodiit,
Excepit formam hominis,
Facturam morte redimens,
Gaudia vitae largiens.

Hoc te, Redemtor, quaesumus.
Illabere propitius,
Clarumque nostris sensibus
Lumen praebe fidelibus.

Mane nobiscum, Domine,
Noctem obscuram remove,
Omne delictum ablue,
Piam medelam tribue.

Quem jam venisse novimus,
Redire item credimus;
Sub sceptro tuo inclyto
Tuum defende populum.

Gloria tibi, Domine,
Qui apparuisti hodie,
Cum patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

Tempore Quadragesimae.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: commendemus nosmetipsos in multa patientia.
Ut non vituperetur ministerium nostrum.

Oratio.

Deus, qui Ecclesiam tuam annua Quadragesimali observatione purificas: praesta familiae tuae; ut, quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exsequatur. Per Dominum nostrum etc.

Hymnus jejunantium.

(Ex brev. Colon.)

Jesu, quadragenariae
Dicator abstinentiae,
Qui ob salutem mentium
Hoc sanxeras jejunium.

Ut illa damna sarciat
Severa continentia,
Quae flebilis comestio
Primi parentis intulit.

Adesto nunc Ecclesiae,
Adesto poenitentiae,
Qua pro suis excessibus
Rogat profusis fletibus.

Tu retroacta crimina
Tua remitte gratia,
Et a futuris adhibe
Custodiam, mitissime.

Ut expiati annuis
Jejuniorum victimis
Tendamus ad Paschalia
Digne colenda gaudia.

Deo Patri sit gloria,
Tibique Patris Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Nunc, et per omne saeculum.

De passione D. N. J. C.

Christus ad Sacerdotem.

Vide, mi fili, ut ante omnia mentem fideliter exerceas in his, quae pro te ac omnibus hominibus feci, quae locutus sum ac pertuli. Nusquam enim invenies tam praesens remedium adversus vanitatum et illecebrarum blandimenta, adversus passionum affectionumque vitiosarum corruptelas, adversus tentationem et calamitatum procellas, adversus tristitiae ac pusillanimitatis depressiones; nusquam reperies tam certum compendium ad omnem virtutem, omnisque virtutis perfectionem consequendam:

Sicut in vita ac passione Salvatoris tui.

Igitur, mi fili! in vita mea ac passione mea juxta gratiam tibi datam versare, in ea meditare, in ea delectare. Haec sit tibi requies inter labores, solatium inter angustias, munimentum inter tentationes, gaudium inter opprobria. Hanc die ac nocte tanquam pretiosissimam margaritam in arca pectoris tui reconditam habe: hanc ubique tecum circumfer; hanc internis oculis, progrediens quiescensque, amanter inspice!

Carmen de passione.

(S. Bonavent.)

Recordare, frater pie,
Septem vicibus in die
Passionis Domini.

Per quam sumus liberati,
Et aeternae vitae dati,
Et supremo lumini.
Quando sedes, stas et jaces,
Quando loqueris, et taces,
Fessus quum quieveris:
Christum quaeras, in quo speras,
Crucifixum Corde geras,
Ubicunque fueris.
Diligenter pone mentem,
Super Christum patientem,
Ut ei condoleas.
Christi mortem, Christiane,
Plange sero, plange mane,
Et in planctu gaudeas.
Quam despectus, quam dejectus
Rex coelorum est effectus,
Ut salvaret saeculum!
Esurivit, et sitivit,
Pauper et egenus ivit
Usque ad patibulum.
Recordare paupertatis,
Et extremae vilitatis,
Et gravis supplicii.
Si es compos rationis,
Esto memor passionis,
Fellis et absynthii.
Cogitans haec ingemisce,
Et in ictis planctum misce,
Et cordis moestitiae.

Corpus ange, Corde plange,
　　Mentem frange, manu tange
　　Christi mortis semitas.
Virum respice dolorum,
　　Et novissimum virorum,
　　Fortem ad supplicia.
Tibi gratum sit et aequum,
　　Jam in Cruce mori secum
　　Compati convicia.
Quando vides te afflictum,
　　Desolatum, ita victum,
　　Ut quasi deficias;
Christi cogites dolores,
　　Graves poenas et moerores,
　　Sputa, contumelias.
Bone frater, quidquid agas,
　　Crucifixi vide plagas,
　　Et ei compatere;
Omni tempore sint tibi,
　　Quasi spiritales cibi,
　　His gaudenter fruere.

Eripe me, Domine, ab homine malo!
A viro iniquo eripe me!

Oratio.

Quaesumus, omnipotens Deus, familiam tuam propitius respice! ut te largiente regatur in corpore, et te servante, custodiatur in mente. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

In Parasceve.

V. Tuam Crucem adoramus, Domine, tuam gloriosam recolimus passionem.

R. Miserere nostri, qui passus es pro nobis!

Oratio.

(Ex Anselmo.)

Ave Crux sancta, virtus nostra! Ave Crux adoranda, laus et gloria nostra; ave Crux, auxilium et refugium nostrum; ave Crux, consolatium omnium moerentium; salve Crux, victoria et spes nostra; salve Crux, defensio et vita nostra! salve Crux, redemptio et liberatio nostra; salve Crux, signum salutis atque inexpugnabilis murus contra omnem virtutem inimici; sit mihi Crux semper spes Christianitatis meae; sit Crux mihi resurrectio mortis meae; sit mihi Crux triumphus adversus daemones; sit mihi Crux mater consolationis meae; sit mihi Crux requies tribulationis meae; sit mihi Crux baculus senectutis meae; sit mihi Crux medicina aegrotationis meae; sit mihi Crux protectio nuditatis meae; sit mihi Crux consolatio vitae meae; sit mihi Crux in omnihus angustiis meis solatium. Sit mihi Crux remedium in tribulationibus meis. Sit mihi Crux in infirmitatibus meis medicamentum, atque contra omnia adversa tutela. Amen. —

Hymnus de Sancta Cruce.

(Theodulphus.)

Vexilla regis prodeunt:
Fulget Crucis mysterium,
Qua Vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit

Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda et sanguine.

Impleta sunt, quae concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.

Arbor decora et fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.

Beata, cujus brachiis
Pretium pependit saeculi,
Statera facta corporis,
Tulitque praedam Tartari.

O Crux, ave, spes unica!
Hoc passionis tempore
Auge piis justitiam,
Reisque dona veniam.

Te, fons salutis, Trinitas,
Collaudat omnis spiritus:
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde praemium.
Amen.

V. Eripe me, Domine, ab homine malo!
R. A viro iniquo eripe me!

Precatio devotiss. ad Jesum Christum, pro peccatis populi sui crucifixum.

(Jo. Fab. ex 7 c. B. Aug. Medit.)

Quid commisisti, dulciss. et amantissime Puer, ut sic judiceris, tam immaniter tracteris? Quod scelus tuum, quae noxa, quae causa tam acerbae mortis? quae occasio damnationis? O me miserum! Ego sum tui doloris et cruciatus causa. Ut Tu in Cruce pendeas, ego meis flagitiis commerui. Tu innocens, ego reus existo. Ego iniquus peccavi, Tu justus puniris. Quod merui ego pessimus, Tu passus es Optimus. Quod perpetravi ego servus, Tu exsolvisti Dominus. Ego facinus admisi, Tu ultione plecteris. Ego crimina omnia commisi, Tu torturae te subjecisti. In me est omnis iniquitas, Tu supplicium sustines.

Quo, nate Dei, quo tua descendit humilitas? Quo tua processit pietas et miseratio? Quantum flagrat tuus amor, quam ardens est charitatis tuae flamma, qua nos peccatores attingis? O mitissime Jesu, quid ego pro his refero, quid retribuo, aut quid referre possum? Quam minime gratus sum pro sancta tua et amara Passione, pro tot erumnis, quas Tu ad consolationem, salutem, et redemptionem meam summe charitatis ardore suscepisti et perpessus es?

Ego deliciis ciborum fruor, potu exquisito delector, Tu in patibulo laborans fellis amaritudinem gustas et acetum potas. Ego molli et pretioso ornatus vestitu incedo, Tu nudus Cruci affigeris, inter

latrones in ligno isto clavis laniaris. Ego luxui inservio, Tu crucem gemens portas: Ego vigeo ac exulto cum mundo, Tu angorem tuum in Cruce exclamando testaris. Ego caput meum lautum atque ornatum como, Tuum sentibus et spinea coronea vulneratur. Ego carnem meam laute tracto, tenerrimo amictu foveo, Tu nudus ad columnam ligatus et atrociter es flagellatus.

Mihi genio indulgenti congaudens arridet Eva. Tibi patienti plorans compatitur Maria.

Quid, rex meus et Deus meus, quid retribuam tibi pro omnibus, quae in me tam large contulisti? Non equidem inveniri potest in corde hominis, quod condigne talibus referatur praemiis. Machinetur, quicquid potest humana sagacitas, nihil proferet, cui juste inenarrabilis Dei benignitas comparetur. Non est Creaturae moliri officium, quo sui Creatoris recompenset praesidium.

Et tamen, o fili Dei, est in admirabili tua dispensatione, ut aliquid etiam nostra fragilitas possit, cum visitatione et gratia tua: mens nostra compungitur, ad compatiendum tibi commovetur. Carnem hanc crucifigit cum vitiis et concupiscentiis, cum etiam ea sentimus, quae Tu sensisti, cum Crucem portantes tua vestigia sequimur, in vera charitate, obedientia et patientia. Hoc, cum a te conceditur, quasi jam compatimur tibi, tu illa in nobis et grata tibi probas, et donas, ut ad aeternam salutem nobis sint. Item te duce armamur et corroboramur, sic, ut si tui Nominis gloria et confessio tuae Fidei

hoc requirat, non vereamur pro tui amore, etiam gladio subjici et mortem oppetere non dubitemus.

Oro itaque, omnipotens Deus, infunde meis vulneribus coelestem hanc medicinam, imple me hac suavitate et consolatione Passionis tuae, ut ex toto affectu omnes hujus mundi illecebras despiciam, adversi pro te nihil reformidem, sine te, et praeter te nihil me delectet, nihil mihi complaceat. Vilia videantur, obsecro, absque te mihi omnia, sordeant omnia. Quod Tibi adversum est, ego etiam ut molestissimum averser, quod Tibi placet, mihi indesinens sit desiderium: fac, ut taedeat me, gaudere sine te, et delectet, contristari pro te.

Sit mihi nomen tuum refocillatio, et memoria tui consolatio. Sit bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti. Tibi obedire amabile, tibi resistere sit cordi meo execrabile. Rogo te, spes mea, per omnes Pietates tuas, ut propitieris impietatibus meis. Amen.

Litania dc Passione Christi.

Kyrie eleison, Christe eleison;
Kyrie eleison. Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, Miserere nobis.
Fili, redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Jesu, contumeliis vexate,
Jesu, triginta argenteis vendite,
Jesu in oratione prostrate,

} Miserere nobis!

Jesu in agonia sanguineo sudore consperse,
Jesu osculo a Juda tradite,
Jesu a ministris ligate,
Jesu a discipulis derelicte,
Jesu Annae et Caiphae praesentate,
Jesu alapa a ministro percusse,
Jesu a falsis testibus accusate,
Jesu reus mortis judicate,
Jesu in faciem conspute,
Jesu oculis velate,
Jesu a Petro ter negate,
Jesu vincte et Pilato tradite,
Jesu ab Herode sprete et illuse,
Jesu veste alba indute,
Jesu Barabbae postposite,
Jesu flagellis caese,
Jesu propter scelera nostra attrite,
Jesu quasi leprosus reputate,
Jesu veste purpurea indute,
Jesu spinis coronate,
Jesu arundine percusse,
Jesu a Judaeis ad Crucem postulate,
Jesu morte turpissima condemnate,
Jesu voluntati Judaeorum tradite,
Jesu Crucis pondere gravate,
Jesu tamquam ovis ad occisionem ducte,
Jesu vestibus exute,
Jesu clavis in Cruce confixe,
Jesu propter iniquitates nostras vulnerate,
Jesu, qui pro inimicis Patrem rogasti,
Jesu cum iniquis reputate,

} Miserere nobis!

Jesu in Cruce blasphemate et illuse,
Jesu a latrone conviciis lacessite,
Jesu te a Patre derelictum attestate,
Jesu felle et aceto in siti potate,
Jesu usque ad mortem Crucis obediens facte,
Jesu lancea transfixe,
Jesu propitiatio nobis facte,
Jesu de Cruce deposite,
Miserere nobis!
Propitius esto, Parce nobis Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni periculo,
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate,
A peste, fame et bello,
A cunctis mentis et corporis periculis,
A morte perpetua,
Per labores et vigilias tuas,
Per dolorosam flagellationem et coronationem tuam,
Per pretiosam mortem et Crucem tuam,
In die judicii,
Libera nos Domine!
Peccatores, Te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,
Ut gratiam Sancti Spiriritus cordibus nostris clementer infundere digneris,
Ut societates in tuo sancto nomine congregatas conservare et amplificare digneris,
Ut nobis veram pacem, humilitatem, et charitatem largiri digneris,
Te rogamus, audi nos!

Ut in gratia, et sancto servitio tuo perseverantiam nobis dare digneris,
Ut nos ab immundis cogitationibus, ac daemonum tentationibus, et damnatione perpetua liberare digneris,
Ut nos collegio Sanctorum tuorum sociare digneris,
Ut nos exaudire digneris.
} Te rogamus, audi nos!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison. Pater noster.

V. Et ne nos inducas intentationem;
R. Sed libera nos a malo.
V. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi:
R. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.
V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

(Ex S. Bernardo.)

O Jesu, Jesu mi, ad passionis tuae gloriosa insignia, in quibus salutem meam operatus es, totum me inclino: tuae victoriosae Crucis regale vexillum in nomine tuo, Christe, adoro: tuum spineum diadema, tuos rubentes sanguine clavos, tuum sa-

crum latus transfixum lancea, tua vulnera, tuum sanguinem, tuam mortem, tuam sepulturam, Christe, supplex adoro et glorifico. Confige Cruci tuae manus meas, et pedes meos, ac totum passioni tuae conforma servum tuum, Domine! —

Precationes breviores.

(Ex S. Gregorio.)

1.

Domine Jesu Christe, adoro te in Cruce pendentem, coronam spineam in capite portantem. Deprecor te, ut tua Crux liberet me ab angelo percutiente. Amen. Pater. Ave.

2.

O Domine Jesu Christe, adoro te in Cruce vulneratum, felle et aceto potatum. Deprecor te, ut vulnera tua sint remedium animae meae. Amen. Pater. Ave.

3.

O Domine Jesu Christe, rogo te per illam amaritudinem passionis tuae, quam in hora mortis sustinuisti, maxime tunc, quum anima sanctissima de benedicto tuo corpore est egressa. Miserere animae meae egredientis de corpore meo, et perduc eam in vitam aeternam. Amen. Pater. Ave.

4.

O Domine Jesu Christe, adoro te in sepulchro positum, myrrha et aromatibus conditum. Deprecor te, ut tua mors sit vita mea. Amen. P. A.

5.

O Domine Jesu Christe, adoro te descendentem ad inferos, et tuos inde liberantem captivos. De-

precor te, ut illuc nunquam me patiaris introire, Amen. P. A.

6.

O Domine Jesu Christe, adoro te a morte resurgentem, et in coelum ascendentem, sedentemque ad dexteram Patris. Deprecor te, ut illuc te sequi, et tibi praesentari merear, Amen. Pater. Ave.

7.

O Domine Jesu Christe, pastor bone, justos conserva, peccatores justifica, omnibus fidelibus miserere, et propitius esto mihi misero et indigno peccatori, Amen. Pater. Ave.

Precatio.

Obsecro te, Domine Jesu Christe, ut passio tua sit virtus mea, qua muniar, protegar et defendar. Vulnera tua sint mihi cibus et potus, quibus pascar, inebrier et delecter. Aspersus sanguinis tui sit omnium peccatorum meorum ablutio. Mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exultatio, sanitas, studium, gaudium, desiderium corporis et animae, nunc et in perpetuum. Amen.

Alia precatio.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, pone passionem, Crucem, et mortem tuam inter judicium tuum et animam meam, nunc et in hora mortis meae.

Largiri mihi digneris gratiam et misericordiam, vivis veniam, defunctis requiem, Ecclesiae tuae pacem, cunctisque peccatoribus vitam et gloriam sempiternam, Qui vivis et regnas.

Oratio de septem verbis Christi.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui in Cruce pendens dixisti: Pater dimitte illis; non enim sciunt, quod faciunt: fac, ut ego amore tui parcam cunctis mihi maledicentibus. Et qui dixisti latroni: Hodie mecum eris in Paradiso; fac me ita vivere, ut in hora mortis meae dicas mihi: Hodie mecum eris in Paradiso. Et qui dixisti matri tuae: Mulier ecce filius tuus; deinde discipulo: Ecce mater tua; fac ut matri tuae me societ amor tuus, et charitas tua. Et qui dixisti: Eli, Eli, lamma sabachthani, hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? fac me dicere in omni tribulatione et angustia mea: Pater mi, Domine mi, miserere mei peccatoris, et adjuva me Rex meus, et Deus meus, qui tuo proprio sanguine redemisti me. Et qui dixisti: Sitio; fac ut semper sitiam te, fontem aquae vivae. Et qui dixisti: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; suscipe me redeuntem ad te. Qui dixisti: Consummatum est; fac ut audire merear illam dulcissimam vocem tuam; scilicet:

Veni amica mea, dilecta mea, sponsa mea, veni, ut mecum conscendas cum Angelis et Sanctis meis in regno meo epulari, jucundari, et commorari per infinita saeculorum saecula. Amen.

Ad Christi vulnera.

V. Videbunt, in quem transfixerunt.

R. Et dolebunt super eum, ut in morte primogeniti.

Oratio.

Deus, qui unigeniti Filii tui passione, et sanguine per quinque vulnera ejus effuso, humanam naturam peccato perditam reparasti: tribue nobis, quaesumus, ut, qui ab eo suscepta vulnera veneramur in terris, ejusdem pretiosissimi sanguinis fructum consequi mereamur in coelis. Per eundem Dominum nostrum.

Orationes S. Birgittae.

Ad dexteram manum.

Laus et gloria sit tibi pro sacratissimo vulnere dextrae manus tuae, Domine Jesu Christe; per hoc sacrum vulnus tuum remitte mihi omnia peccata mea, quae unquam contra te deliqui cogitatione, locutione, et negligentia tui servitii et opere, in delectatione prava, dormiendo, vel vigilando; sponte, vel nescienter, et per venerabilem passionem tuam da mihi piissimam mortem tuam, et sacratissima vulnera tua memoria recolere, et te donante tibi gratias semper exhibere. Amen.

Ad sinistram manum.

Laus et gloria sit tibi pro sacratissimo vulnere sinistrae manus tuae. Domine Jesu Christe, per hoc sacrum vulnus tuum remitte mihi omnia peccata mea, et miserere mei, et quidquid tibi displicet in me, dignare gratia tua mutare. Da mihi virtutem contra hostes nequissimos, ut tua virtute valeam eos superare; et per piissimam mortem tuam libera

me ab omnibus periculis praesentis vitae et futurae, et fac me dignum gratia tua in regno tuo. Amen.

Ad dexterum pedem.

Laus et gloria sit tibi pro sanctissimo vulnere dextri pedis tui. Domine Jesu Christe, per hoc sacrum vulnus tuum concede mihi, dignam poenitentiam agere pro peccatis meis, et per sanctissimam mortem tuam te deprecor, piissime Jesu Christe, ut me famulum tuum diebus ac noctibus in tua voluntate custodias, et ab omni adversitate corporis et animae eripias, animamque meam in die tremenda in tuam fidem ac misericordiam suscipias, et ad gaudia aeterna perducas. Amen.

Ad sinistrum pedem.

Laus et gloria sit tibi pro sacratissimo vulnere sinistri pedis tui. Domine Jesu Christe, per hoc sacrum vulnus tuum concede mihi veniam plenae indulgentiae, ut te succurrente merear judicium ultionis evadere, et per sanctissimam mortem tuam te deprecor, piissime Jesu, ut ante diem obitus mei percipere merear Sacramenta dulcissimi corporis et sanguinis tui cum integra peccatorum meorum confessione et perfecta poenitentia, et cum sacri olei unctione merear pervenire ad aeternam salutem. Amen.

Ad latus.

Laus et gloria sit tibi pro sanctissimo vulnere lateris tui, dulcissime Domine Jesu Christe, per hoc

sacrum vulnus tuum et per hanc sanctissimam misericordiae tuae largitatem, quam in aperitione lateris tui ostendisti, te suppliciter deprecor, piissime Jesu: sicut per baptismum ab originali peccato me mundasti, sic per pretiosissimum sanguinem tuum, qui toto orbe terrarum immolatur et sumitur, libera me ab omnibus periculis praesentibus et futuris, et per amarissimam mortem tuam da mihi fidem veram, spem firmam, et charitatem perfectam, ut toto corde, tota anima, totaque virtute te diligam. Confirma me in omnibus operibus bonis, et da mihi fortem perseverantiam in tuo sancto servitio, ut tibi perfecte placere valeam hic et in futuro saeculo. Amen.

Hymnus ad sacratissimum cor Jesu Christi.

O divinum Cor aveto,
Te saluto corde laeto.
Te complecti me delectat:
Istud unum, quod affectat
Cor ad Deum sitiens.
O quis amor Cor urebat!
Quis te zelus tunc urgebat!
Cum te prorsus exhaurires,
Ut te nobis impartires,
O fons indeficiens!
O mors dira, mors amara!
Vae immitis, et avara:
Quae nec Jesum praeteristi;
Quin hunc telo feris tristi,
Rumpens Cor dulcissimum.

O per mortem, quam tulisti,
Et cor fodi permisisti;
Meum, precor, intellectum,
Redde simul et affectum
Cordi tuo consonum.

In medullam cordis mei,
O fac summae dator spei,
Tuus amor inferatur;
Meus in te transferatur,
His caducis altior.

Quisquis amat, sed sincere,
Hoc quod loquor, sentit vere:
Nullus modus est amori:
Pro Dilecto cogit mori:
Amor morte fortior.

Amans vivit per amorem,
Nescit moras, vincit morem.
Quidquid jubet Praedilectus,
Promptus capit hoc affectus,
Nulli cedens aspero.

Sit haec prima mihi cura,
Ut te mente quaeram pura.
O quam vere tunc laetabor,
O quam felix gloriabor,
Jesum cum possedero!

Pande cordis tui sinum;
Scis, queis meum sit vicinum.
En, mi Jesu, cor paratum
Cape, ne vis Potestatum,
Caro, Mundus rapiat.

Huc anhelat, huc movetur,
Ubi cubet, et moretur.
Nil prae Jesu jubet scire;
Nec terrenum quid ambire,
Ut te solum sapiat. —

Festo Resurrectionis. D. N. J. Ch.

Antiphon.: Haec dies, quam fecit Dominus: exultemus, et laetemur in ea.

Alleluja, resurrexit Dominus, alleluja, sicut dixit vobis, alleluja, alleluja.

Oratio.

Deus, qui hodierna die per Unigenitum tuum aeternitatis nobis aditum devicta morte reserasti, vota nostra, quae praeveniendo adspiras, etiam adjuvando prosequere. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Aliae Orationes.

(Ex S. Anselmo.)

1.

Jesu Domine, Jesu pie, qui mori dignatus es propter peccata nostra, et resurrexisti propter justificationem nostri: rogo te per gloriosam resurrectionem tuam, resuscita me de sepulchro vitiorum et peccatorum meorum omnium, et da mihi quotidie partem in resurrectione prima, ut in resurrectione tua merear, veraciter percipere portionem. —

2.

Fortissime, potentissime Domine Jesu Christe, tu postquam mortem vicisti, surgens a mortuis vivus et immortalis discipulis tuis apparuisti. Dolentes de tua morte laetificasti, manducans et bibens frequenter cum eis in fide sanctae Resurrectionis tuae cor eorum solidasti: animam meam, animam servi tui laetifica et conforta in fide sanctae tuae Resurrectionis.

Alia oratio.

(Ex venerabili L. Blósio.)

Ave dulcis Jesu: laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui victor e clauso sigillatoque sepulchro prodiens, nobili triumpho resurrexisti a mortuis: et claritate serenissimi vultus tui reddita, amicos tuos novo perfudisti gaudio. Da, Domine, ut ego a vitiis veteris conversationis resurgens, in novitate vitae ambulem, et quae sursum sunt sapiam, non quae super terram: ut, cum tu apparueris vita mea, ego quoque tecum appaream in gloria. Amen.

Antiphona.

V. Gaude et laetare Virgo Maria, alleluja.
R. Quia surrexit Dominus vere, alleluja.

Oratio.

Deus, qui per resurrectionem Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, mundum laetificare dignatus es: praesta quaesumus, ut per ejus genitricem Virginem Mariam perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hymnus.

Chorus novae Hierusalem
Nova meli dulcedine
Promat, colens cum sobriis
Paschale festum gaudiis.
Quo Christus invictus leo,
Dracone surgens obruto,
Dum voce viva personat,
A morte vinctos excitat.
Quam devorarat, improbus
Praedam refudit tartarus:
Captivitate libera
Jesum sequuntur agmina.
Triumphat ille splendide:
Et dignus amplitudine,
Soli polique patriam
Unam facit rempublicam.
Ipsum canendo supplices
Regem precemur milites,
Ut in suo clarissimo
Nos ordinet palatio.
Per secla metae nescia,
Patri supremo gloria,
Honorque sit cum Filio,
Et Spiritu Paraclito.

Festo Ascensionis Domini.

Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum. Alleluja.

Dominus in coelo, alleluja.
Paravit sedem suam, alleluja.

Oratio.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui hodierna die Unigenitum tuum, redemptorem nostrum ad coelos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in coelestibus habitemus. Per eundem Christum etc.

Hymnus.

(Ex Brev. Colon.)

Festum, quod colimus, magnaque gaudia,
Compellunt animos, carmina promere,
Dum Christus solium scandit ad arduum,
Et dextrae Patris assidet.
Donat terrigenis munera plurima,
Promittitque, sacrum mittere Spiritum,
Et se discipulis praesidio suis
Ad finem fore seculi.
Inferni domitor transit ad aethera:
Davidis celebri carmine coelites
Virtutum Domino psallere prodeunt,
Regi psallere gloriae.
Quas e carceribus duxerat inferis,
Captivas animas ad superos trahit,
Mandans angelicis coetibus inseri:
Hic nobis loca praeparat.
Olim qui venies, reddere singulis,
Vel poenas meritis, vel tua gaudia,
Hic nos continua dirige gratia,
Ut reddas bona praemia.

Ter sanctae Triadis gloria personet:
Laus sit summa Patri, summaque Filio,
Et sanctum celebrent omnia secula
Summa laude Paraclitum.

Oratio (ex S. Anselmo.)

Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, pretiosissime, desideratissime, amabilissime, pulcherrime, ascendisti in coelum cum triumpho gloriae tuae, et sedes ad dexteram patris; rex potentissime, trahe me sursum ad te, ut curram post te in odorem unguentorum tuorum, curram et non deficiam, te trahente, te ducente me currentem, trahe os sitientis te animae in superna fluenta aeternae satietatis: imo trahe me ad te fontem vivum, ut inde pro captu meo bibam, unde semper vivam, Deus meus, vita mea. Assumat, Domine, assumat, rogo, spiritus meus pennas, ut aquilae, et volitet et non deficiat; volet et perveniat usque ad decus domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae: ut ibi super mensam refectionis civium supernorum pascatur de occultis tuis in loco pascuae tuae, juxta fluenta plenissima: requiescat in te, Deus meus, cor meum, cor, mare magnum, tumens fluctibus. Tu qui imperasti ventis et mari, et facta est tranquillitas magna, veni et gradere super fluctus cordis mei; ut tranquilla et serena fiant omnia mea, quatenus unum bonum meum amplectar te; et dulce lumen oculorum meorum contempler te sine tumultuantium cogitationum caeca caligine. Confugiat, Domine, mens mea sub umbram alarum tuarum ab aestibus

cogitationum hujus saeculi, ut in tui refrigerii temperamento abscondita laetabunda cantet et dicat.

In pace in idipsum dormiam et requiescam. Amen.

Alia oratio.

(Ex venerabili L. Blosio.)

Ave dulcis Jesu: laus tibi, et honor, et gloria Christe, qui expleto a resurrectione tua quadraginta dierum numero, coram discipulis tuis gloriosus ascendisti in coelum: ubi sedes ad dexteram Patris benedictus in saecula. Utinam anima mea tui amore semper langueat, mundana omnia fastidiat, aeterna attendat, ad te anhelet, te esuriat et sitiat! Utinam nihil me afficiat, nihil exhilaret praeter te, o Domine Deus meus! Amen.

Cultus Spiritus Sancti.

Officium.

Ad Matutinum.

V. Spiritus sancti gratia illuminet sensus et corda nostra.
R. Amen.
V. Domine labia mea aperies.
R. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
V. Deus in adjutorium meum intende.
R. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri & F. & Sp. S. Alleluja (vel: laus tibi Domine, Rex aeternae gloriae.)

Hymnus.

Veni superne Spiritus,
Purgata Christi sanguine,
Tuique terra jam capax,
Expandit arentes sinus.

Cum per sanctum Angelum fuit salutata,
Verbum Caro factum est, Virgo fecundata.

Antiphona. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

V. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.
R. Et renovabis faciem terrae.

Oratio.

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus sancti, quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum nostrum.

Ad Primam.

V. Spiritus sancti gratia, (ut supra.)

Hymnus.

Christi petentis aethera
Exsolve promissam fidem,
Et nostra praesens igneo
Munda lavacro pectora.

V. Emitte Spiritum, (ut supra.)

Oratio. Adsit nobis, (ut supra.)

Ad Tertiam.

V. Spiritus sancti gratia, (ut supra.)

Hymnus.

Lugemus amissum Patrem:
Te nostra tangat orbitas:
Solare moestos; anxiis
Spem redde, qui solus potes.

Antiphona. Veni sancte Spiritus, (ut supra.)

V. Emitte Spiritum, (ut supra.)

Oratio. Adsit nobis quaesumus, (ut supra.)

Ad Sextam.

V. Spiritus sancti gratia, (ut supra.)

Hymnus.

Docere quae Christus rudes
Prudens alumnos distulit,
Haec praeparatis insere
Novus Magister mentibus.

Antiphona. Veni sancte Spiritus, (ut supra.)

V. Emitte Spiritum.

Oratio. Adsit nobis quaesumus, (ut supra.)

Ad Nonam.

V. Spiritus sancti gratia, (ut supra.)

Hymnus.

Olim per umbras vatibus
Retecta paucis veritas,
Nunc orbe toto dissitis
Per te patescat gentibus.

Antiphona. Veni sancte Spiritus, (ut supra.)

V. Emitte Spiritum, (ut supra.)

Oratio. Adsit nobis quaesumus, (ut supra.)

Ad Vesperas.

V. Spiritus Sancti gratia, (ut supra.)

Hymnus.

Divina jam nos unctio
Informet omnes: hactenus
Mutis aratam litteris
Inscribe legem cordibus.

Antiphona. Veni sancte Spiritus, (ut supra.)

V. Emitte Spiritum.

Oratio. Adsit nobis quaesumus, (ut supra.)

Ad Completorium.

V. Spiritus sancti gratia, (ut supra.)
V. Converte nos Deus salutaris noster.
R. Et averte iram tuam a nobis.
V. Deus in adjutorium. Gloria Patri, et Filio. Alleluja.

Hymnus.

Sit laus Patri: laus Filio:
Utrumque qui nectis, Deus
Utrique compar, sit tibi
Decus perenne, Spiritus!

Antiphona. Veni sancte Spiritus.

V. Emitte Spiritum tuum.

Oratio. Adsit nobis quaesumus, (ut supra.)

Commendatio.

Has horas canonicas cum devotione,
Tibi, sancte Spiritus, pia ratione
Dixi, ut nos visites inspiratione
Et vivamus jugiter in coeli regione. Amen.

Hymnus ad invocandam Spiritus sancti gratiam.

Veni sancte Spiritus,
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium.
Veni Pater pauperum,
Veni dator munerum,
Veni lumen cordium:
Consolator optime,
Dulcis hospes animae,
Dulce refrigerium,
In labore requies,
In aestu temperies,
In fletu solatium.
O lux beatissima!
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.
Sine tuo Numine
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.
Lava, quod est sordidum,
Riga, quod est aridum,
Sana, quod est saucium.
Flecte, quod est rigidum,
Fove, quod est frigidum,
Rege, quod est devium.
Da tuis fidelibus,
In te confidentibus
Sacrum septenarium.
Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium. Amen.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio. Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus Spiritus totum corpus Ecclesiae sanctificatur et regitur: exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiae tuae munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per eundem Dominum nostrum, qui tecum Spiritus unus est Deus in saecula, saeculorum. Amen.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

V. Et fidelium animae etc.

Litania de Spiritu Sancto.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Spiritus sancte, Audi nos.
Spiritus Paraclite, Exaudi nos.
Pater de coelis Deus, Miserere nobis,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Spiritus veritatis,
Spiritus sapientiae,
Spiritus intellectus,
Spiritus fortitudinis,

Miserere nobis!

Spiritus pietatis,
Spiritus recti consilii,
Spiritus scientiae,
Spiritus sancti timoris,
Spiritus charitatis,
Spiritus gaudii,
Spiritus pacis,
Spiritus patientiae,
Spiritus benignitatis,
Spiritus bonitatis,
Spiritus longanimitatis,
Spiritus mansuetudinis,
Spiritus fidei et spei,
Spiritus modestiae,
Spiritus conscientiae,
Spiritus castitatis,
Spiritus humilitatis,
Spiritus prudentiae,
Spiritus vitae et salutis,
Spiritus virtutum,
Spiritus multiformis gratiae,
Purificator animarum nostrarum,
Ecclesiae Catholicae Sanctificator et Rector,
Scrutans corda et renes Deus,
Coelestium donorum distributor,
Director cogitationum et intentionum cordis,
Securum in omni adversitate praesidium,
Dulcedo in tuo servitio incipientium,
Virtus in te proficientium,
Corona perfectorum,
Gaudium angelorum,

Miserere nobis!

Illuminatio Patriarcharum,
Os et sapientia Apostolorum,
Victoria Martyrum,
Scientia Confessorum,
Puritas Virginum,
Unctio sanctorum omnium,
} **Miserere nobis!**

Propitius esto, Parce nobis sancte Spiritus,
Propitius esto, Exaudi nos sancte Spiritus,
Ab omni malo, Libera nos sancte Spiritus.

Ab omni peccato,
Ab omnibus tentationibus et insidiis diaboli,
Ab omni praesumptione et desperatione,
Ab impugnatione veritatis agnitae,
Ab invidentia fraternae gratiae,
Ab omni obstinatione et impoenitentia,
Ab omni negligentia et torpore animi,
Ab omni immunditia mentis et corporis,
Ab haeresibus et erroribus universis,
Ab omni malo spiritu,
A mala et aeterna morte,
Per aeternam ex Patre Filioque processionem tuam,
Per miraculosam conceptionem Filii Dei,
Per descensionem tuam super Christum baptizatum,
Per sanctam apparitionem tuam in transfiguratione Domini,
Per adventum tuum super discipulos Christi,
In die Judicii,
} **Libera nos, sancte Spiritus!**

Peccatores, Te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus, audi nos.

Ut omnia Ecclesiae membra vivificare, et sanctificare digneris,

Ut gratia tua sancta et efficaci nos ubique praevenire, comitari et subsequi digneris,

Ut verae pietatis, devotionis et orationis donum nobis dare digneris,

Ut omnes cogitationes, verba et opera nostra ad te dirigere et sanctificare digneris,

Ut verae humilitatis omniumque virtutum praesidia nobis dare digneris,

Ut sanctae paupertatis studium in nobis augere digneris,

Ut donum mansuetae patientiae in nobis plantare digneris,

Ut gratiam lacrymarum nobis dare digneris,

Ut ad veram justitiam nos continuo aspirare concedas,

Ut sinceros misericordiae charitatisque affectus nobis inspirare digneris,

Ut spiritum novum et cor mundum in nobis creare digneris,

Ut ad tolerandas propter justitiam persecutiones nos dignos et fortes efficias,

Ut nos in gratia tua confirmare digneris,

Ut nos in numerum Electorum tuorum recipias,

Ut nos exaudire digneris,

Te rogamus, audi nos!

Spiritus sancte Deus, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; Effunde in nos Spiritum sanctum.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Emitte promissum in nos Patris Spiritum.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Da nobis Spiritum bonum.

Spiritus sancte, Audi nos.

Spiritus Paraclete, Exaudi nos.

Kyrie eleison.

Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem.
R. Sed libera nos a malo.
V. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.
R. Et renovabis faciem terrae.
V. Cor mundum crea in me Deus.
R. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.
V. Ne projicias me a facie tua.
R. Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.
V. Redde mihi laetitiam salutaris tui.
R. Et Spiritu principali confirma me.
V. Spiritus sancti gratia. R. Illuminet sensus et corda nostra. V. Domine exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium, etc. (ut supra.)

Oratio.

(Ex S. Anselmo.)

Jam o Divini amor numinis, Patris omnipotentis, Prolisque beatissimae sancta communicatio, omni-

potens Paraclete Spiritus, moerentium consolator clementissime, jam cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, et tenebrosa quaeque neglectae lucis latibula corusci luminis fulgore pius inhabitator laetifica, tuique roris abundantia longo ariditatis marcentia squallore visitando foecunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris jaculo, et torpentis medullas jecoris flammis salutaribus penetrando succende, sanctique fervoris igne illustrando, intima mentis et corporis universa depasce. Pota me torrente voluptatis tuae, ut nihil jam mundanorum degustare libeat venenatae dulcedinis. Judica me, Domine, et discerne causam meam de gente non sancta; doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Credo ergo quod quemcunque inhabitaveris, Patris, ac pariter Filii domicilium condis. Beatus, qui te merebitur hospitem: quoniam per te Pater et Filius apud eum facient mansionem.

Veni jam, veni, benignissime dolentis animae consolator, in opportunitatibus et in tribulationibus adjutor. Veni mundator scelerum, curator vulnerum. Veni fortitudo fragilium, relevator labentium, veni humilium doctor, superborum destructor. Veni orphanorum pius pater, viduarum dulcis judex. Veni spes pauperum, refocillator deficientium. Veni navigantium sydus, naufragantium portus. Veni omnium viventium singulare decus, morientium unica salus. Veni sanctissime Spiritus, veni, et miserere mei, apta me tibi: et condescende propitius mihi, ut mea tuae magnitudini exiguitas, roborique tuo mea imbecillitas, secundum multitudinem tuarum complaceat

miserationum, per Jesum Christum, salvatorem meum, qui cum Patre in tua unitate vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen. —

Alia Oratio.

(Jo. Ferus in libello: precation.)

Spiritus sancte Deus, miserere nobis. O Domine Deus, Spiritus sancte, Patri Filioque consubstantialis, coëternus, coëssentialis, conjunctus, ex utroque ineffabili procedens modo: gratias agimus tibi, adoramus te, benedicimus tibi, laudamus et magnificamus te, ex toto mentis affectu, pro omnibus dilectionis tuae in nos beneficiis.

Sed in primis, quod te ipsum nobis in baptismatis lavacro immittens, tua in nobis incessanter exequeris opera, tua munificus elargiris dona.

Precamur, vitiorum omnium impietatisque extermina e nobis tenebras, ferventisque tui amoris in nobis ignem accende, qui vivis et regnas in saecula. Amen.

Piae Aspirationes ad S. Spiritum pro septenis ejusdem donis impetrandis.

I.

Veni sancte Spiritus,
Et emitte coelitus
Dona tuae gratiae.

Veni, o Spiritus Sapientiae! instrue cor meum, ut sciam aestimare et amare bona caelestia,

exque terrenis omnibus anteponere. Monstra insuper viam, qua illa consequi et in aeternum possidere valeam. Amen.

Pater noster etc.

II.

Veni sancte Spiritus etc.

Veni, o Spiritus Intellectus! illumina mentem meam, ut omnia salutis mysteria percipiam et amplectar, clareque tandem in lumine tuo lumen aeternum videre, plenamque Tui, Patrisque ac Filii cognitionem obtinere merear. Amen. Pater noster etc.

III.

Veni sancte Spiritus etc.

Veni, o Spiritus Consilii! Assiste mihi in omnibus instabilis hujus vitae negotiis, mentem in bonum inclina, et a malo absistere, meque per rectum mandatorum tuorum tramitem ad optatam salutis aeternae metam dirige. Amen. Pater noster etc.

IV.

Veni sancte Spiritus, etc.

Veni, o Spiritus Fortitudinis! da robur cordi meo, illudque in omni perturbatione et adversis casibus confirma virtutemque contra noxios inimicorum meorum conatus largire, ne unquam victus a te Deo, summo bono meo, separer. Amen.

Pater noster, etc.

V.

Veni sancte Spiritus, etc.

Veni, o Spiritus Scientiae! fac, ut caduca hujus mundi bona eorumque vanitatem perspiciam, et contemnam, neque aliter iis utar, quam ad tuam unius gloriam meamque salutem: tua vero aeterna praemia omnibus rebus terrenis anteponam. Amen.

Pater noster, etc.

VI.

Veni sancte Spiritus, etc.

Veni, o Spiritus Pietatis! cor meum ad veram pietatem et sanctum Domini Dei mei amorem impelle, ut hunc in omni devotione mea semper quaeram, et in vera dilectione inveniam. Amen.

Pater noster, etc.

VII.

Veni sancte Spiritus, etc.

Veni, o Spiritus Timoris Domini! confige timore tuo carnes meas, ut provideam Te, Dominum Deum meum, in conspectu meo semper, omniaque sollicite caveam, quae purissimis Divinae Majestatis tuae oculis displicere possunt. Amen.

Pater noster, etc.

V. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium:

R. Et tui amoris in eis ignem accende.

V. Domine exaudi orationem meam,

R. Et clamor meus ad te veniat,

Oremus.

Mentibus nostris, quaesumus Domine, Spiritum sanctum benignus infunde, cujus et sapientia conditi sumus, et providentia gubernamur. Per Dominum, etc.

V. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.
R. Amen.

Officium parvum de SS. Eucharistiae Sacramento.

Ad Matutinum.

Panem coeli dedit nobis Dominus: panem angelorum manducat homo.

V. Domine labia mea aperies.
R. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
V. Deus in adjutorium meum intende.
R. Domine ad adjuvandum me festina. Gloria Patri. Alleluja.

Hymnus.

Lauda Sion Salvatorem,
Lauda Ducem et Pastorem,
In hymnis et canticis.
Quantum potes, tantum aude:
Quia major omni laude,
Nec laudare sufficis.
Laudis thema specialis,
Panis vivus et vitalis,
Hodie proponitur.
Quem in sacrae mensa coenae,
Turbae fratrum duodenae
Datum non ambigitur.

V. Panem de coelo praestitisti eis Domine.
R. Omne delectamentum in se habentem.

Antiphona. Dominus Jesus, qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, benedixit, fregit, et dixit: Accipite et manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.

V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad primam.

Panem coeli dedit nobis etc. (ut supra.)
V. Deus in adjutorium etc. (ut supra.)

Hymnus.

Sit laus plena, sit sonora,
Sit jucunda, sit decora
Mentis jubilatio.
Dies enim solemnis agitur,
In qua mensae prima recolitur
Hujus institutio.
In hac mensa novi Regis,
Novum Pascha novae legis,
Phase vetus terminat.

Vetustatem novitas,
Umbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat.

V. Panem de coelo, (ut supra.)

Antiphona. O quam suavis est, Domine, spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de coelo praestito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.

V. Domine exaudi, (ut supra.)

Oratio. Deus, qui nobis, (ut supra.)

Ad Tertiam.

Panem coeli dedit nobis, (ut supra.)

V. Deus in adjutorium, (ut supra.)

Hymnus.

Quod in coena Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.
Docti sacris institutis,
Panem, Vinum in salutis
Consecramus hostiam.
Dogma datur Christianis,
Quod in carnem transit panis,
Et vinum in sanguinem.
Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmet fides,
Praeter rerum ordinem.

V. Panem de coelo, (ut supra.)

Antiphona. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus; qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo.

V. Domine exaudi, (ut supra.)

Oratio. Deus, qui nobis, (ut supra.)

Ad Sextam.

Panem coeli dedit nobis, (ut supra.)

V. Deus in adjutorium, (ut supra.)

Hymnus.

Sub diversis speciebus,
Signis tantum, et non rebus,
Latent res eximiae.
Caro cibus, Sanguis potus,
Manet tamen Christus totus
Sub utraque specie.
A sumente non concisus,
Non confractus, non divisus,
Integer accipitur.

V. Panem de coelo, (ut supra.)

Antiphona. Quotiescunque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis; mortem Domini annuntiabitis; donec veniat.

V. Domine exaudi, (ut supra.)

Oratio. Deus, qui nobis, (ut supra.)

Ad Nonam.

Panem coeli dedit nobis, (ut supra.)

V. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Sumit unus, summunt mille:
Quantum isti, tantum ille,
Nec sumptus consumitur.

Sumunt boni, sumunt mali
Sorte tamen inaequaeli,
Vitae, vel interitus.

Mors est malis, vita bonis:
Vide, paris sumptionis
Quam sit dispar exitus.

V. Panem de coelo, (ut supra.)

Antiphona. Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne: reus erit corporis et sanguinis Domini.

V. Domine exaudi (ut supra.)

Oratio. Deus, qui nobis (ut supra.)

Ad Vesperas.

Panem coeli dedit nobis, (ut supra.)

V. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Fracto demum Sacramento,
Ne vacilles, sed memento,
Tantum esse sub fragmento,
Quantum toto tegitur.
Nulla rei fit scissura:
Signi tantum fit fractura,
Qua nec status, nec statura
Signati minuitur.
Ecce panis Angelorum
Factus cibus viatorum;
Vere panis filiorum,
Non mittendus canibus.

V. Panem de coelo etc.

Antiphona. O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur.

V. Domine exaudi etc.

Oratio. Deus, qui nobis (ut supra.)

Ad Completorium.

Panem coeli dedit nobis, (ut supra.)

V. Converte nos Deus salutaris noster.

R. Et averte iram tuam a nobis.

V. Deus in adjutorium.

Hymnus.

In figuris praesignatur,
Cum Isaac immolatur;
Agnus Paschae deputatur,
Datur manna Patribus.
Bone Pastor, panis vere,
Jesu nostri miserere:
Tu nos pasce, nos tuere;
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.
Tu, qui cuncta scis et vales,
Qui nos pascis hic mortales,
Tuos ibi commensales,
Cohaeredes et sodales
Fac sanctorum civium.
Amen.

V. Panem de coelo praestitisti eis Domine.

R. Omne delectamentum in se habentem.

A n t i p h o n a. Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.

V. Domine, exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

O r e m u s.

Deus, qui nobis etc. (ut supra.)

C o m m e n d a t i o.

Has horas sic recolo pia ratione,
Tibi, corpus Domini, ut confessione
Contritus, et praevia satisfactione
Valeam te sumere cum devotione. Amen.
O salutaris Hostia, quae coeli pandis ostium,
Bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium.
Uni trinoque Domino sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino, nobis donet in Patria.
Amen.

Hymnus S. Thomae Aquinatis.

A d SS. E u c h a r i s t i a m.

Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas,
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit.
Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur:
Credo, quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.

In Cruce latebat sola Deitas:
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto, quod petivit latro poenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam praestans homini,
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.

Pie Pelicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

O Jesu! quem velatum hic aspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio,
Ut te revelata cernens facie
Visu sim beatus tuae gloriae.
Amen.

Hymnus.

Pange lingua gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.
In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus
Observata lege plene,
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.
Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit:
Fitque sanguis Christi merum:
Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum,
Sola fides sufficit.
Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui;
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.
Genitori Genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque,
Sit et benedictio;
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.
Amen.

Litania de Venerabili Sacramento.

Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, Audi nos.
Christe, Exaudi nos.
Pater de coelis Deus, Miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Panis vivus de coelo descendens,
Deus absconditus et Salvator,
Frumentum electorum,
Vinum germinans virgines,
Panis pinguis et deliciae regum,
Juge sacrificium,
Oblatio munda,
Agnus absque macula,
Mensa purissima,
Angelorum esca,
Manna absconditum,
Memoria mirabilium Dei,
Panis supersubstantialis,
Verbum caro factum,
Habitans in nobis,
Hostia sancta,
Calix benedictionis,
Mysterium fidei,
Praecelsum et venerabile Sacramentum,
Sacrificium omnium sanctissimum,

Miserere nobis!

Vere propitiatorium pro vivis et defunctis.
Coeleste antidotum, quo a peccatis praeservamur,
Stupendum super omnia miraculum,
Sacratissima Dominicae Passionis commemoratio,
Donum transcendens omnem plenitudinem,
Memoriale praecipuum divini amoris,
Divinae affluentia largitatis,
Sacrosanctum et augustissimum mysterium,
Pharmacum immortalitatis,
Tremendum ac vivificum Sacramentum,
Panis omnipotentia Verbi caro factus,
Incruentum sacrificium,
Cibus et conviva,
Dulcissimum convivium, cui assistunt Angeli ministrantes,
Sacramentum pietatis,
Vinculum charitatis,
Offerens et oblatio,
Spiritualis dulcedo, in proprio fonte degustata,
Refectio animarum sanctarum,
Viaticum in Domino morientium,
Pignus futurae gloriae,

} Miserere nobis!

Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab indigna corporis et sanguinis tui susceptione,
A concupiscentia carnis,

} Libera nos, Domine!

A superbia vitae,
Ab omni peccandi occasione,
Per desiderium illud, quo hoc-Pascha cum discipulis manducare desiderasti,
Per summam humilitatem, qua discipulorum pedes lavasti,
Per ardentissimam charitatem, qua hoc divinum Sacramentum instituisti,
Per sanguinem tuum pretiosum, quem nobis in altari reliquisti,
Per quinque vulnera hujus tui corporis sacratissimi, quae pro nobis suscepisti,

Libera, nos Domine!

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis fidem, reverentiam et devotionem hujus admirabilis Sacramenti augere et servare digneris,
Ut ad frequentem usum Eucharistiae per veram peccatorum confessionem nos perducere digneris,
Ut nos ab omni haeresi, perfidia, ac cordis coecitate liberare digneris,
Ut in hora mortis nostrae hoc coelesti viatico nos confortare et munire digneris,
Ut ad coenam vitae aeternae nos perducere digneris,
Fili Dei,

Te rogamus, audi nos!

Agnus Dei, etc. Parce nobis Domine.
Agnus Dei. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei. Miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

Kyrie eleison, Christe eleison.

Kyrie eleison. — Pater noster. —

V. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus.

R. Escam dedit timentibus se.

V. Panem de coelo praestitisti nobis, Domine.

R. Omne delectamentum in se habentem.

V. Ex altari tuo, Domine, Christum sumimus.

R. In quem cor et caro nostra exultant.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera nos per tremendum corporis et sanguinis tui Sacramentum ab omnibus iniquitatibus nostris, et universis malis, et fac nos tuis semper inhaerere mandatis, nec a te unquam separari permittas.

Deus, qui nos ad imaginem tuam Sacramentis renovas et praeceptis: perfice gressus nostros in semitis tuis, et charitatis tuae donum, quod fecisti a nobis sperari, per tuam clementiam efficaciter facias apprehendi.

Deus, qui diligentibus te bona invisibilia praeparasti: infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus, et super omnia diligentes, promissiones tuas, quae omne desiderium superant, consequamur. Per Dominum nostrum, Jesum Christum Filium tuum: qui tecum etc.

Visitatio SS. Sacramenti.

Invitatio.

Ad Christum in SS. Eucharistia visitandum et adorandum.

„Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Matth. 11, 28."

Quum amabilissimus Dominus noster J. Chr. Ipse te his amicissimis verbis ad Se visitandum invitet, non opus est, ut ego te amplius invitem. Bonum autem tibi erit, si exempla Sanctorum, et quantas gratias ex visitando Dominum perceperint, intueberis.

Si peregrini, dicit S. Paulinus, beatos se praedicant, cum iis contingat, aliquantulum pulveris de spelunca, in qua Salvator noster natus est, vel de sepulchro secum ferre, quo zelo nos sanctissimum Sacramentum, in quo Jesus Christus Ipse praesens est, visitemus oportet, praesertim, quum non opus sit, ut labores aut pericula subeamus! S. Franciscus Xaverius libentissime in adoratione Sanctissimi versatus est, et saepe accidit, ut, si vespere multis laboribus defatigatus domum regressus erat, totam noctem SS. Eucharistia transigeret et mane viribus refectis ad opus rediret. S. Franciscus Seraphicus in omnibus ad

versitatibus ad SS. Sacramentum properavit et novas vires et consolationes hausit. S. Wenceslaus, Bohemorum rex, tanto amore Domini captus erat, ut vel hyeme eas ecclesias Pragae noctu visitaret, ubi SS. Sacramentum repositum erat. Sed quid omnes sanctorum ordines enumerem? Amantes cupiunt se videre et confabulari, et quum omnes sancti Dominum amaverint, omnes eum in SS. Sacramento visitaverunt. Unum tantum testem his addere volo, scilicet S. Alphonsum Mariam Liguori, qui et ipse prae amore Dei in Eucharistia absconditi flagravit. Ilic in libro suo visitationum Sanctissimi: „Si quartam, inquit, horae partem coram Sanctissimo versaris, majorem fructum percipies, quam omnibus exercitiis spiritualibus totius diei.“ Idem de se ipso hoc testatur: „Quotidianae visitationi debeo, quod quadam ratione non jam in mundo sum.“ Idem narrat de foemina nobili, Venerabilis P. Avilae discipula, quae regulam sanctae Clarae professa et ob frequentem et longam commorationem coram Sanctissimo sponsa SS. Sacramenti dicta est. Interrogata, quomodo ibi tam multas horas commorari posset? respondit: „In sempiternum ibi commorari vellem. Nonne ibi Deus, qui in coelo gaudium beatorum erit, praesens est? Et, o benigne Deus! quaeritur, quomodo tam diu commorari possim, et quid faciam!? Quid, nisi amare et laudare, gratias agere, orare et rogare? Quid facit egenus coram divite? quid aeger coram medico? quid sitiens ad fontem? quid fame vexatus ante abundantem mensam?“ Venite igitur ad Jesum omnes, qui laboratis et onerati estis, et Ipse reficiet vos! —

Adoratio Christi in Eucharistia.

O Domine, Jesu Christe, verus Deus et homo: ego te hic vere praesentem agnosco; supplex adoro, de vivae Carnis tuae et Sanguinis, Corporisque et Animae veritate nihil omnino dubitans. Utinam vere eo te modo contemplari et cognoscere, diligere, laudare et glorificare queam, quo tot sanctorum angelorum millia summo cum gaudio te contemplantur, cognoscunt, diligunt, et glorificant in coelis? Quantum enim tibi debeo, quod amore mei e coelo descenderis, teque in ara crucis pro me obtuleris? et in immortale monumentum amoris tui te mihi in Sacramento reliqueris?

Vae mihi! si amorem hunc amore non compensem.

Actus Fidei, Spei, Charitatis et Resignationis coram Venerabili.

O Sapientia infinita! o aeterna Veritas! o Bonitas immensa, quae nec falli, nec fallere potes: Credo in te, et credo tibi in omnibus, quae revelasti, perque Ecclesiam mihi credenda proponis. Inprimis vero credo, te in sanctissimo hoc sacramento esse praesentem, prout apertis verbis asseruisti, quibus plus tribuo, quam ingenio meo, omnibusque sensibus. Et pro hac fide per tuam gratiam mori sim paratus.

Spero in te, o bonitas infinita! teque per inexhaustam misericordiam tuam, et pretiosissima verba, veniam, gratiam, et gloriam mihi promissam daturum confido.

Amo, et amabo te, et omnia, quae tu amas, propter te, o fons infinite omnis boni! quia tu omni amore dignus es.

Gaudeo de infinita perfectione, beatitudine et amabilitate tua, et de omni obsequio, laude, honore, et gloria tibi ab electis tuis, et creaturis omnibus umquam reddita et in aeternum reddenda.

Te, tuumque in omnibus beneplacitum amplector, omnique possibili reverentiae, fiduciae, amoris, et pietatis affectu veneror et exosculor.

Quidquid in me est affectus erga creaturas, in te solum transfero. Quidquid egero in omnem aeternitatem, aut passus fuero, cedat ad tuam gloriam.

Totus sum tuus: fac de me, quidquid vis, nunc et in aeternum. Amen.

Piae orationes corum Venerabili faciendae.

(Ex S. Anselmo.)

Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam praeter te sentiat dulcedinem, nullum praeter te quaerat amorem, nullam praeter te amet pulchritudinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum et omnem suavitatis saporem, qui nos semper reficis, et nunquam in te deficis: comedat te cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera amimae meae. Manducat te angelus ore pleno, manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via tali recreatus viatico. Panis sancte, panis vive, panis pulcher, panis

munde, qui descendisti de coelo, et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus: intra in animam meam, et sanctifica me interius et exterius. Esto tutamen et continua salus animae meae et corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes: recedant procul a praesentia potentiae tuae, ut foris et intus per te munitus recto tramite ad tuum regnum perveniam, ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo et Patri, et erit Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica, ita ut nec esuriam, nec sitiam in aeternum.

Alia oratio ex V. L. Blosio.

Ave dulcis Jesu: laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui Sacramentum Eucharistiae in infinita charitate instituisti, teque in eo nobis dedisti stupenda liberalitate, ut apud nos etiam corporaliter maneres usque ad consummationem saeculi. Excita, quaeso, in me desideria, et vehementer accende omnia intima mea ad sitim hujus venerabilis Sacramenti. Da, ut casto affectu, singulari humilitate et integra cordis puritate te adorem ac suscipiam, dum ad mensam illam vitalem accedo. Te modo ita sitiat, ita tui amore langueat anima mea, ut aliquando in regno tuo aeternis tuis deliciis perfrui merear, ad gloriam nominis tui. Amen.

Oratio alia.

Adoro te supplex, latens Deitas, quae sub his figuris vere latitas. Visus, gustus, tactus in te fallitur, sed auditu solo tuto creditur. Credo, quidquid dixit Dei Filius: nil hoc veritatis verbo verius. In cruce latebat sola Deitas; at hic latet simul et humanitas. Ambo tamen credo et confiteor. Plagas, sicut Thomas, non intueor; Dominum tamen et Deum meum te confiteor. — O Jesu! quam magnus es et laudabilis nimis! Nonne tibi subjecta erit anima mea? Major es omni laude nec laudare te sufficio; cernuus tantum Augustum hoc veneror Sacramentum.

Propitius esto mihi peccatori, sicut propitius fuisti publicano. Peccavi, nec sum dignus, qui oculos levem in coelum. Peccatorum primus oro supplex, ut miserearis mei; doleo de peccatis meis propter te summe dilectum. Accipe sacrificium spiritus contribulati, et dimitte me justificatum in pace.

Quamvis te frequenter recipiam, confiteor tamen cum Centurione, quod non sim dignus, ut intres sub tectum meum; sed permittas saltem, quaeso, ut in hoc Sacramento te adorans, defectus in celebratione Missae commissos defleam. Felix, si tibi Altissimo, vota mea reddendi studiosus, dignus tuis altaribus minister gratia tua efficiar!

Ecce, quem amas, infirmatur! sana me, sicut sanasti coecum, leprosos, et quotquot detinebantur infirmitate. Propter me enim homo factus es, redemisti me pretioso sanguine tuo; mei amore jugiter in hoc altari resides, meque sanctissimo corpore tuo toties reficis.

O Jesu, qui venisti a Deo Magister, et viam Dei in veritate doces; doce me legem tuam, et fac, ut non auditor tantum sim verbi, sed et factor.

Domine, salva me, ne peream. Impera ventis et mari, ut fiat tranquillitas magna, atque ad aeternae felicitatis portum secure veniam. O salutaris Hostia, quae coeli pandis ostium; bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium!

O Jesu, recordare verbi tui: „Petite, et accipietis:“ Da mihi saltem micas, quae cadunt de mensa tua; da cor humilitatis amans, et quidquid expedit ad gloriam tuam meamque salutem.

O Pater aeterne, peccavi! mereor iram tuam: sed sanguis filii tui ad te pro me clamat. Obtulit se in ara crucis, et nunc se offert in hoc altari in remissionem peccatorum: averte igitur indignationem tuam a me.

O Jesu! quendo ex una parte recogito hanc mirabilium tuorum, quam fecisti, memoriam; ex altera vero ingratum tot hominum animum, confundor et fio mihimet ipsi gravis. Reple cor meum amaritudine, ut vero contritus dolore possim tibi aliquantulum satisfacere. Quam tristis est anima mea, quod tot infideles praesentiam tuam realem in hoc Sacramento non credant; quod ab ipsis fidelibus in templis tuis non visiteris; quod tremendo Missae sacrificio a pluribus tam irreverenter assistatur; quod filii ingrati hoc sacrum convivium, in quo ipse sumeris, in quo recolitur memoria passionis tuae, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur, tanquam cibum levissimum fastidiant, vel manducan-

tes et bibentes indigne judicium sibi manducent et bibant; quod quidam ministrorum tuorum sanctissima mysteria quandoque tam oscitanter tractent: quod ego praecipue prae caeteris gravius peccaverim; quod ego nequam fuerim, quia tu fuisti bonus! In tua solum pietate confisus supplex oro: Parce mihi, Domine; parce quoque populo tuo; ubi abundavit delictum, superabundet et gratia; ne memineris iniquitatnm nostrarum antiquarum; anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis. Parce mihi indignissimo ministro tuo; non enim habeo fiduciam, nisi in tua misericordia; anxiatur cor meum in recogitatione abominationum mearum. Propono mihi firmiter cum tua gratia, me emendare, fideque immobili, spe viva atque charitate fervida hoc magnum mysterium venerari, ejusque devotionem caeteris frequenter insinuare, ut reverentia hujus Sacramenti in dies crescat, donec te facie ad faciem videamus.

O Jesu! offero tibi cogitationes meas, eloquia ac opera mea, meque ipsum hostiam viventem, in unione divinae illius intentionis, qua ipse se Patri obtulit.

Benedic mihi, Domine, qui fecisti coelum et terram, et veniant mihi cum benedictione tua omnia bona! —

Laus SS. Sacramenti.

Laudetur sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quot in coelo stellae, in igne scintillae, in aëre atomi, in mari guttae, in terra pulveres: quot in vere flores, aestate grana, auctumno folia, hyeme nives et grandines: quot corporeae in universo sunt creaturae, quia dignus es, Domine universorum, qui sub corporeis vini panisque speciebus lates. Vere tu es Deus absconditus. Laudetur SS. Sacramentum tot laudibus, quot ullo opere exhiberi: quot ore proferri: quot corde omnium hominum excogitari nunquam potuere, vel possunt; quia dignus es tu Domine pater noster, qui nos cibas et potas quotidie, cujus redempti sumus pretioso sanguine, quasi agni immaculati. —

Laudetur SS. Sacramentum tot laudibus, quot omnes angeli ipsaque sanctissima Trinitas sua potentia depromere, sua sapientia concipere, sua bonitate optare potest, quia dignus es, Domine, Deus meus, qui mihi donas non tantum humanitatem, verum etiam divinitatem tuam, Dominus meus, et Deus meus, vere laudabilis et gloriosus, et superexaltatus in saecula.

Petitio.

Benignissime Jesu, a quo manant in nos omnia bona, a quo omnia a nobis mala arcentur: averte a me omnem vanitatem, mentis elationem, carnis libidinem, oris licentiam, contemptum inaptum, avaritiae ardorem, et quidquid demum divinae Maje-

stati tuae displicet; ut tibi, Deo meo, in veritate serviam, et in corde perfecte laudem et glorificem in saecula. Amen.

Commendatio sui.

Commendo me tibi, o bone Jesu! intra mellifluum cor tuum absconde me, nec permitte me in aeternum separari a te. Sis mihi in vita solatium, in morte viaticum, in aeternitate praemium. Id rogo te pro me et omnibus amicis meis, per lacrymas, sudorem et sanguinem tuum. Amen.

Petitio benedictionis.

Benedic mihi, Domine Jesu, cum patre Sanctoque Spiritu, uberemque largire gratiam, amplectendi semper, et in omnibus, nunc et in hora mortis tuam sanctissimam voluntatem. Amen.

Cultus B. M. Virginis.

Invitatio ad B. Mariam Virginem venerandam.

Christus ad Sacerdotem.

Mi fili! venerationem Mariae, dilectissimae matris meae, caram habeto. Per ipsam ad salutem hominum operandam natus sum, per ipsam quoque, fili, statui dare tibi sapientiam et sanctitatem. Ipsa enim est totius puritatis et sanctimoniae exemplar absolutum; ipsa peccantium singulare refugium, ipsa omnium, quos tentatio, calamitas, aut persecutio aliqua urget, tutissimum asylum. — Ipsa regina coeli potentissima, ipsa dispensatrix gratiarum liberalissima, ipsa omnium fidelium mater optima. Tota mitis est, tota serena, tota suavis, tota benigna, non solum justis et perfectis, verum etiam peccatoribus ac desperatis: quos ut ad se ex corde clamare conspexerit, statim adjuvat, suscipit, fovet et metuendo mihi judici maternâ fiduciâ reconciliat. — Fieri non potest, ut pereat, qui Mariae sedulus et humilis cultor fuerit. —

Vide Augustinum, Joannem Damascenum, Anselmum, Bonaventuram, Bernardum, Dominicum, Vincentium Ferrerium, Xaverium, et tot alios sacerdotes Mariae servos, sanctitate adeo conspicuos. —

Nonne per Mariae preces illos sanctificavi? Num per aliam portam ingressi sunt in regnum meum, quam per Mariam? — Tu igitur fac illam tibi unice familiarem: veni, mi fili, et venerare Mariam cum gaudio et laetitia! —

Cultus enim, quem ei impendis, redundat in gloriam Dei, eritque tibi fons multorum bonorum. „Si quid gratiae, si quid spei in nobis est, si quid salutis, juxta S. Bernardum, ab ea noverimus redundare.“ De plenitudine gratiae ipsi a Deo collatae omnis creatura veluti virescit. Intervenit pro Clero; ejus interventione veniam speramus delictorum. Quidquid Eva, credendo serpenti, deliquit, Maria, credendo Gabrieli, delevit. Quidquid maledictionis infusum est per Evam, totum abstulit benedictio Mariae. Haec contrivit caput serpentis; per eam Dominus ad nihilum redegit inimicos nostros: haec, gratia plena, inveniet nobis gratiam apud Dominum. Ad ipsam, tanquam ad speculum et exemplar Christianae vitae, semper respice; hanc venerare et ama, quantum potes. Qui ad eam devote ac reverenter accedunt, hos diligit, hos suscipit in filios. —

Salutatio ad B. Mariam.

(Ex Venerabl. L. Blosio.)

Salve, sidus clarissimum, unde ortus est Sol justitiae et Rex gloriae, amator ac redemptor animarum nostrarum! Nos te, o Virgo admirabilis, nos te matrem Dei hominis, matrem luminis aeterni, qua possumus devotione, veneramur: tu mentes nostras divinis influxibus pasce, ad gloriam ipsius Unigeniti tui. Amen.

Doxologia Rhythmica ad Mariam.

Ave virgo gratiosa,
Stella sole clarior:

Mater Dei gloriosa,
Favo mellis dulcior.
Tu es illa speciosa,
Qua nulla est pulchrior:
Rubicunda plus, quam rosa,
Lilio candidior.
Praesta misellis juvamen,
Regina clementiae:
Moerentibus fer solamen,
Aurora laetitiae.
Praedulcis fons pietatis
Dona nobis veniam,
Et purgatos a peccatis
Duc ad coeli patriam!
Amen.

Oratio (ex S. Anselmo) ad B. V. Mariam.

Sancta et gloriosa Dei genitrix, semperque virgo Maria, quae mundo meruisti generare Salvatorem, exaudi me et miserere mei, nunc et semper propter honorem sanctae et excellentissimae virginitatis tuae. Te deprecor humiliter, esto mihi salvatrix et adjutrix apud Deum omnipotentem, ut ipse me pius pastor et princeps pacis a peccatorum meorum maculis emundet, et ab inferni tenebris eripiat, et ad vitam perducat aeternam. Et qui per te, castissima virgo, venit in hunc mundum, et humanum genus suo sanguine salvavit, et inferni claustra de-

struxit, et coelestis regni januas aperuit; ille me per misericordiam suam salvare et conservare dignetur, et post finem hujus vitae labentis aliquam partem aeternae beatitudinis precibus tuis in sanctorum societate concedat.

Festa B. M. V.

Festo immaculatae conceptionis B. Virg. Mariae.

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum: tua gratia sit mecum. Benedicta tu in mulieribus: et benedicta sit sancta Anna, mater tua, ex qua sine peccato et macula processisti. Ave sanctissima Maria, mater Dei, regina coeli, porta paradisi, domina mundi, pura, singularis tu es virgo: tu concepisti Jesum sine peccato: tu peperisti Creatorem et Salvatorem mundi: libera me ab omni malo, et ora pro peccatis meis. Amen. —

Officium de immaculata conceptione B. M. V.

Ad Matutinum.

Eja labia mea nunc annuntiate.
V. Laudes et praeconia virginis immaculatae!
R. Domina in adjutorium meum intende!
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri etc.

Hymnus.

Salve mundi domina,
Coelitum regina;
Salve virgo virginum,
Stella matutina:
Ab aeterno Dominus
Te praeordinavit
Matrem unigeniti
Verbi, quo creavit
Terram, pontum, aethera;
Pulchram te ornavit
Sibi sponsam, macula
Nulla quam foedavit.

V. Elegit eam Deus et praeelegit eam:
R. In tabernaculo suo habitare fecit eam:
V. Domina protege orationem meam:
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Sancta Maria, regina coelorum, mater Domini nostri Jesu Christi, et mundi domina, quae nullum derelinquis, et nullum despicis: respice me Domina cle-

menter oculo tuae pietatis et impetra mihi apud tuum dilectum filium cunctorum veniam peccatorum, ut, qui nunc tuam sanctam et immaculatam conceptionem devoto affectu recolo, aeternae in futurum beatitudinis bravium capiam, ipso, quem virgo peperisti, donante D. N. J. C. qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

V. Domina protege orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.
V. Benedicamus Domino.
V. Deo gratias.
V. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.
V. Amen.

Ad Primam.

V. Domina in adjutorium meum intende!
R. Me de manu hostium potenter defende!
Gloria Patri etc.

Hymnus.

Salve virgo sapiens,
Deo consecrata;
Domus et virgineo
Thalamo ornata.

Omni a contagio
Mundi praeservata,
In materno utero
Jam sanctificata.

Mater es viventium,
Portaque Sanctorum
Stella Jacob, Domina
Salve Angelorum.

Daemoni terribilis
Acies castrorum,
Portus et refugium
Esto peccatorum.

V. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto.
R. Et exaltavit illam inter omnia opera sua.
V. Domina protege orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Sancta Maria, regina etc. ut supra.

Ad Tertiam.

V. Domina in adjutorium meum intende.
R. Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri etc.

Hymnus.

Salve arca foederis,
Thronus Salomonis;
Arcus pulcher aetheris,
Rubus visionis.

Virga frondens germinis,
Vellus Gedeonis,
Porta clausa Numinis,
Favus et Samsonis.

Decuit tam nobilem,
Quam gignebas prolem,
Ut a te averteret
Omnem culpae labem.
Ut ne, ubi strueret
Verbum, Caro aedem,
Prius ibi figeret
Daemon sibi sedem.

V. Ego in altissimis habito:
R. Et thronus meus in columna nubis.
V. Domina protege etc. ut supra.

Ad Sextam.

V. Domina in adjutorium meum intende.
R. Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri etc.

Hymnus.

Salve o puerpera
Virgo, Trinitatis
Templum, coeli gaudium,
Cella puritatis.
Tristibus solatium,
Hortus voluptatis,
Palma patientiae,
Cedrus castitatis.
Terra benedicta es,
Et sacerdotalis,
Sancta, munda, libera
A peccati malis.

Civitas Altissimi,
Patens coeli porta,
Per quam omnis gratia
Nobis est exorta. —

V. Sicut lilium inter spinas,
R. Sic amica mea inter filias Adae.
V. Domina protege etc. ut supra.

Ad Nonam.

V. Domina in adjutorium meum intende.
R. Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri etc.

Hymnus.

Salve urbs refugii,
Turrisque munita
David, et fortissimis
Armis insignita.
In conceptione gratiis
Plena jam fuisti,
Et serpentis inferi
Caput contrivisti.
O invicta mulier,
Gloriosa Judith!
Holophernis stygii
Fastum quae confudit.
Peperit Aegyptiis
Rachel curatorem;
Sed Maria genuit
Mundi salvatorem.

V. Tota pulchra es amica mea.
R. Et macula originalis nunquam fuit in te.
V. Domina protege etc. ut supra. —

Ad Vesperas.

V. Domina in adjutorium etc.

Hymnus.

Salve horologium,
In quo decem gradus
Sol divinus rediit,
Deus incarnatus.
Ad summa ab inferis
Homo ut tollatur,
Immensus ab angelis
Paulo minoratur:
Solis hujus radiis
Maria coruscas,
Lucis ut praenuntia
In conceptu micas.
Lunam pulchritudine
Vincis plenam luce;
Tuta sit errantibus
Semita te duce.

V. Ego feci in coelis, ut oriretur lumen indeficiens.
R. Et quasi nebula texi omnem terram.
V. Domina protege etc. ut supra.

Ad Completorium.

V. Convertat nos, Domina, tuis precibus placatus Jesus Christus, filius tuus.

Et avertat iram suam a nobis.
V. Domina in adjutorium meum intende.
R. Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri etc.

Hymnus.

Salve virgo florida,
Mater illibata.
Domina clementiae,
Stellis coronata.
Omnibus prae angelis
Gratia ornata,
Et ad Regis dexteram
Veste stans aurata.
Per te, Mater gratiae,
Dulcis spes reorum,
Stella maris fulgida,
Portus naufragorum:
Patens coeli janua,
Salus infirmorum,
Regem regum videam
In aula Sanctorum.
Amen.

V. Oleum effusum, Maria, nomen tuum.
R. Servi tui dilexerunt te nimis.
V. Domina protege etc. ut supra.

Commendatio.

Supplices offerimus
Tibi, virgo pia,
Haec laudum praeconia;
Fac, ut nos in via

Cursu ducas prospero,
Et in agonia
Nobis para gratiam
O dulcis Maria. Amen.

Antiphon. Haec est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpae fuit.

V. In conceptione tua, virgo, immaculata fuisti.
R. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti. —

Oratio.

Deus, qui per immaculatam virginis conceptionem dignum filio tuo habitaculum praeparasti; quaesumus, ut sicut ex morte ejusdem filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti, ita nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas, per Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum.

Immaculata B. M. V. conceptio,
Sit nobis praesidium et protectio. —

In Desponsatione B. M. V.

Gloriosae virginis Mariae Desponsationem dignissimam recolamus, quae et genitricis dignitatem obtinuit, et virginalem pudicitiam non amisit.

V. Desponsatio est hodie sanctae Mariae virginis.
R. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Oratio.

Famulis tuis, quaesumus, Domine, coelestis gratiae munus impertire: ut quibus beatae Virginis partus extitit salutis exordium, desponsationis ejus vo-

tiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum etc.

Alia Oratio.

(Ex Vener. L. Blosio.)

Ave suavis Maria, quae virgo virgini Joseph desponsata fuisti divino consilio. Ne sinas me, o consolatrix cordium, ne sinas me elongari a te: intuere benignis illis oculis tuis desiderantem tibi placere. Sicut enim in aeternum vivere ac salvus esse non potest is, quem a te aversum despexeris, ita in aeternum perire non potest is, quem ad te conversum respexeris. Occurre, Domina, quaerenti te, dirige diligentem te, conserva confidentem in te. Esto mihi semper propitia, ut salutem per te inveniam. Amen.

Alia oratio.

O sancta mater clementiae, magna, egregia, augusta virgo, mater Dei, regina coelorum et terrarum, regina angelorum et hominum, singularis adjutrix et gratiâ Dei certum refugium peccatorum, consolatium afflictorum: Maria, dulce, suave, jucundum, confirmans Nomen! Filia Patris, mater Filii, sponsa S. Spiritus, regina populorum, respice me peccatorem miserum! Tibi supplico, o mater, advola, o domina amantissima, succurre mihi in illa hora, quum dissolvetur corpus meum. Haec est illa hora, qua ut mihi subvenias semper te oravi; ne me desere in illo momento, mitissima

adjutrix! Tibi me commendo, ex intimo animo, adjuva me!

Hymnus.

Regi regum tu fuisti,
Digna sponsa, quae fulsisti,
Ut in spinis lilium.
Sic consortem jam naturae,
Sed mutato carnis jure,
Dei capis Filium.
Virgo viro desponsaris;
Sed fis mater expers maris,
Virgo gestat uterum.
Joseph timet, sed securum
Reddit Angelus, et purum
Promovet conjugium.

Festo Purificationis.

Hodie beata virgo Maria puerum Jesum praesentavit in templo, et Simeon repletus Spiritu sancto accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum in aeternum.

V. Ora pro nobis, Sancta Dei genitrix.
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam supplices exoramus, ut sicut unigenitus Filius tuus hodierna die cum nostrae carnis substantia in templo est praesentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus praesentari. Per eundem Dominum nostrum.

Alia oratio.

(Ex S. Anselmo.)

O Virgo serenissima, per merita tuae piissimae purificationis da mihi virtutem contra hostes tuos: Virgo sanctissima, corpore castissima, moribus omnium pulcherrima: Virgo virginum, nec corde unquam polluta, nec ore, sed tota pulchra, tota sine macula: Intemerata virgo corpore, intemerata virgo mente, nihil debens legibus, nullis tacta excessibus; ut humilitatis in te ostenderes exemplum, imples purificationis officium pollutis matribus statutum. Ad templum detulisti tecum mundandum, qui tibi integritatis decus homo genitus adauxit. Intacta genitrix ad templum detulisti tecum mundandum, qui delicta nostra intelligens, quia illi omnia nuda sunt et aperta, ab occultis nostris quotidie per confessionem et poenitentiam mundat, et ab alienis per spiritum continentiae parcit servis suis. Ad templum detulisti tecum mundandum, cujus sanguis in cruce passionis suae ab originali nos lavans contagio, quotidie etiam in ara per sacrosancta mysteria et nos poenitentes et confessos emundat a nostris criminibus. Ad templum detulisti tecum mundandum, qui pro nobis pontifex factus secundum ordinem Melchisedech quotidie compatitur infirmitatibus nostris, et est misericors nobis; et pontifex fidelis ad Deum propitiando peccata populi, quotidie nos Deo Patri reconciliat: et per id, quod Deo Patri offert Deus de Deo quotidie, si conversi fuerimus et peccata nostra confessi, fidelis et justus et patiens Deus ignoscet nobis, et absolvet nos.

In nomine ejus, virgo integerrima, confugio ad te. In ejus ergo nomine dulcissimo et amore, suscipe me, Domina mea clementissima, confugientem ad te; et adjuva me per merita tuae castissimae purificationis, ut sentiam et gaudeam me à sordibus conscientiae ita perenniter purificari, ut nunquam doleam, de caetero me aliqua contagione aut perpetratione sceleris coinquinari. Sancta Dei genitrix, intercede pro me peccatore apud tuum dulcem natum Jesum Christum, benedictum fructum ventris tui, et miserere mei. Amen.

Hymnus.

Quamvis muta et polluta
  Mea sciam labia;
Praesumendum, nec silendum
  Est de tua gloria.
Virgo gaude, omni laude
  Digna et praeconio:
Quae damnatis libertatis
  Facta es occasio.
Semper munda et foecunda,
  Virgo tu puerpera:
Mater alma, velut palma
  Florens et fructifera.
Ejus flore et odore
  Recreari cupimus;
Cujus fructu nos a luctu
  Liberari credimus.

Pulchra tota, sine nota
  Cujuscunque maculae:
Fac nos mundos et jucundos,
  Te laudare sedule.
O Beata, per quam data
  Nova mundo gaudia;
Et aperta fide certa
  Regna sunt coelestia,
Per te mundus laetabundus
  Novo fulget lumine,
Antiquarum tenebrarum
  Exutus caligine;
Nunc potentes sunt egentes,
  Sicut olim dixeras;
Et egeni fiunt pleni,
  Ut tu prophetaveras.

Antiphona. Misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

V. Ora pro nobis etc.

Oratio. Concede nos famulos, etc. (ut supra).

Festo septem dolorum B. M. V.

Officium parvum.

Gemitus matris tuae ne obliviscaris Eccl. 7. 29.

Ad Matutinum.

1. Dolor ex Simonis vaticiniis. Luc. 2.

Ave Maria etc.

V. Domine labia mea aperies.

R. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

V. Deus in adjutor. etc.

Alleluja (vel: Laus tibi Domine, Rex aeternae gloriae.)

Hymnus.

Ave dulcis mater Christi,
Quae cor tuum gladio
Transfigendum audis tristi
Senis vaticinio:
Tanti minori doloris
Mihi sis praesidio,
Ut post vallem hanc moeroris,
Coeli reddar gaudio.

Ant. Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? cui exaequabo te, et consolabor te, Virgo filia Sion? magna est enim, velut mare, contritio tua. Thren. 2. 13.

V. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit.

R. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Luc. 2. v. 35.

Oremus.

Interveniat pro nobis, quaesumus, Domine Jesu Christe, nunc et in hora mortis nostrae apud tuam clementiam B. V. Maria mater tua, cujus sacratissimam animam in hora tuae passionis doloris gladius pertransivit. Per te, Jesu Christe, Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis etc.

Ad primam.

2. **Dolor ex fuga in Aegyptum.**
Ave Maria etc.
V. Deus in adjutor. etc.

Hymnus.

Ave dulcis mater Christi,
Quae prae regis furiâ
Saeviente, corde tristi
Fugis exul patriâ:
O Regina beatorum,
Nostri spes exilii,
Fac infractus vi malorum
Fiam consors Filii.

Ant. Vide, Domine, quoniam tribulor: conturbatus est venter meus: subversum est cor meum in memetipsa; quoniam amaritudine plena sum: foris interfecit gladius, et domi mors similis est. Thren. 1. 20.

V. Domine, ante te omne desiderium meum.
R. Et gemitus meus à te non est absconditus.

Oremus. Interveniat, etc. vide pag. 118.

Ad Tertiam.

3. **Dolor ex amisso duodenni Filio.**
Ave Maria etc.
V. Deus in adjutorium, etc.

Hymnus.

Ave dulcis mater Christi,
Natum lugens inclytum:

O quam tristis quaesivisti
Triduo jam perditum:
Hujus memor ô doloris
Christum fac inveniam,
Et inventum per amoris
Nexum semper teneam.

Ant. Plorans ploravit in nocte, et lachrymae ejus in maxillis ejus; non est, qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. Thren. 1. 2.

V. Posuisti me desolatam,

R. Tota die moerore confectam. Thren. 1. 13.

Oremus.

Interveniat pro etc. vide p. 118.

Ad Sextam.

4. Dolor ex captivitate, flagellatione, coronatione et bajulatione Crucis Christi.

Ave Maria etc.

V. Deus in adjutor. etc.

Hymnus.

Ave, dulcis mater Christi,
Quae dilectum Filium
Capi, vinciri vidisti
Manibus crudelium:
O per poenas Patientis,
Nobis sit impunitas:
Per amorem Condolentis
Matris crescat charitas!

Ant. Vide Domine afflictionem meam; quoniam erectus est inimicus. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia mea. Thren. 1.

V. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum?

R. Et plorabo die ac nocte.

Oremus.

Interveniat, etc. vide p. 119.

Ad Nonam.

5. **Dolor ex Crucifixione.**

Ave-Maria etc.

V. Deus in adjutor. etc.

Hymnus.

Ave dulcis Mater Christi,
Quae sub Crucis arbore
Gemens, Natum morte tristi,
Vides, heu! succumbere.
O per Ensem hunc doloris,
Qui tunc scidit animam,
Fac, me firmet vis amoris
Mortis ad victoriam.

Antiph. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus. Thren. 1. 12.

V. Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam.

R. Sibi laverunt et moverunt caput suum super filiam Jerusalem.

Oremus.

Interveniat, etc. vide p. 119.

Ad Vesperas.

6. **Dolor, ex Corporis Christi e Cruce sublatione.**

Ave Maria, etc.

V. Deus in adjutor. etc.

Hymnus.

Ave dulcis Mater Christi,
Quae de Cruce mortuum
Ulnis natum suscepisti,
Madens undâ fletuum:
Eja praestet vis doloris,
Mater plena gratiae,
Ut supremis server horis
Gremio clementiae.

Antiph. Ne vocetis me Noëmi, (id est pulchram) sed vocate me Mara, (id est amaram) quia amaritudine valde me replevit Omnipotens. Ruth. 1. 20.

V. Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi.

R. Inter ubera mea commorabitur. Cant. 1.

Oremus.

Interveniat, etc. vide p. 119.

Ad Completorium.

7. **Dolor ex Sepultura.**

Ave Maria etc.

V. Converte nos Deus, salutaris noster.

R. Et averte iram etc.
V. Deus in adjutor. etc.

Hymnus.

Ave dulcis Mater Christi,
Quae sepulchro conditum
Plangis Natum, heu quam tristi
Mente volvens abitum!
In virtute tot dolorum,
Quos tulisti fortiter,
Omnem contra vim malorum
Stare nos viriliter;
Demum sorte beatorum
Fac gaudere jugiter.

Ant. Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas: quia longe factus est a me consolator convertens animam meam. Thren. 1.
V. Defecerunt prae lacrymis oculi mei.
R. Conturbata sunt viscera mea. Th. 2. 11.

Oremus.

Interveniat, etc. vide p. 118.

Has horas canonicas cum devotione,
Tibi, Virgo, recolo piâ ratione;
Ut materni pectoris ex compassione
Mihi sis auxilio mortis in agone.

Litania de VII Doloribus
Beatissimae Virg. Mariae.

Kyrie eleison.
Christe eleison.

Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, Miserere nobis!
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere etc.
Spiritus sancte Deus, Miserere etc.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere etc.

Ora pro nobis!

Mater dolorosa,
Cui in diversorio non fuit locus,
Quae in stabulum divertere coacta es,
Quae primogenitum tuum in praesepio collocasti,
Quae circumcisionem Filii tui commiserata adspexisti,
Quae Filium tuum in signo, cui contradicetur, esse positum audivisti,
Quae tuam animam gladio transfodiendam audivisti,
Quae cum Filio in Aegyptum fugere debuisti,
Quae caede innocentum doluisti,
Quae duodennem Filium in templo amissum triduo dolens quaesivisti,
Quae constans Judaeorum in Filium tuum odium sensisti,
Quae in die ultimae coenae Filio Hierosolymam ad Passionem eunti tristissimum Vale dixisti,
Quae Filium à Juda proditum, et captivum abductum cognovisti,
Quae Filium tanquam facinorosum Principibus Sacerdotum traditum vidisti,

Quae Filium falso accusatum audivisti,
Quae benedictam Filii faciem terribili alapâ caesam intellexisti,
Quae Filium à Judaeis et lictoribus crudelissime tractatum audiisti,
Quae Filium Barrabae postponi audivisti,
Quae Filium flagellis caesum, et spinis coronatum conspexisti,
Quae iniquissimam in Filium sententiam pronuntiari audivisti,
Quae Filio crucis pondere onusto obviam ivisti,
Quae benedictas Filii manus et pedes horrendis clavis transfigi audivisti,
Quae suprema Filii tui verba in cruce excepisti,
Quae Filio in agone adstitisti,
Quae exanime Filii corpus de cruce depositum materno gremio excepisti,
Quae à sepulto Filii corpore tota tristis et desolata domum rediisti,
O Regina Martyrum,
O Speculum afflictorum,
O Solatium infirmorum,
O Fortitudo pusillanimorum,
O Refugium peccatorum,

Ora pro nobis!

Per acerbissimos dolores Sanctissimae Matris tuae,
Per maximas angustias ejus,
Per gemitus et lacrymas ejus,
Per maternam compassionem ejus,

Libera nos Domine!

Per potentissimum patrocinium ejus,
Ab immoderata tristitia,
A pusillanimitate,
Ab omni occasione et periculo peccati,
Ab insidiis diaboli,
A duritiâ cordis,
Ab impoenitentia,
A subitaneâ et improvisâ morte,
Ab aeterna damnatione,

} Libera nos Domine!

Ut nobis veram fidem, spem et charitatem patrocinio tuo obtinere digneris,
Ut nobis a Filio tuo perfectum de peccatis dolorem et poenitentiam impetrare digneris,
Ut invocantibus te consolationem et opem ferre digneris,
Ut in agone mortis nobis succurrere digneris,
Ut beatum nobis vitae exitum impetrare digneris,

} Mater doloriss., te rog. audi nos!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, etc. Exaudi etc.
Agnus Dei, etc. Miserere etc.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster etc.
Ave Maria etc.

V. In omni tribulatione et angustia nostra.
R. Succurre nobis beatissima Virgo Maria.

Oremus.

Interveniat pro nobis, quaesumus Domine Jesu Christe, nunc et in hora mortis nostrae apud tuam clementiam beata Virgo Maria Mater tua: cujus sacratissimam animam in hora tuae Passionis doloris gladius pertransivit. Per te Jesu Christe Salvator mundi, qui sum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Planctus B. Mariae Virginis.

Stabat Mater dolorosa,
Juxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius:
Cujus animam gementem
Contristatam et dolentem
Pertransivit gladius.
O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater unigeniti!
Quae moerebat et dolebat,
Et tremebat, cum videbat
Nati poenas inclyti.
Quis est homo, qui non fleret,
Christi Matrem si videret
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari,
Piam Matrem contemplari
Dolentem cum Filio?

Pro peccatis suae gentis,
Vidit Jesum in tormentis
Et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem Natum
Morientem desolatum,
Dum emisit Spiritum.

Eja Mater fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.

Fac, ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam.

Sancta Mater istud agas:
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide;

Tui Nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Poenas mecum divide.

Fac me vere tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero:
Juxta crucem tecum stare,
Et me tibi sociare
In planctu desidero.
Virgo virginum praeclara,
Mihi jam non sis amara,
Fac, me tecum plangere:
Fac ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari,
Ob amorem Filii.
Inflammatus et accensus
Per te, Virgo, sim defensus
In die judicii.
Fac me Cruce custodiri,
Morte Christi praemuniri,
Confoveri gratia.
Quando corpus morietur,
Fac, ut animae donetur
Paradisi gloria. Amen.

V. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.

R. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Oremus.

Interveniat pro nobis etc. vide p. 118.

Festo Visitationis B. M. V.

Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda.

V. Benedicta tu in mulieribus.

R. Et benedictus fructus ventris tui.

Oratio.

Famulis tuis, quaesumus, Domine, coelestis gratiae munus impertire: ut quibus beatae Virginis partus extitit salutis exordium, visitationis ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum.

Per Dominum.

Canticum.

Magnificat anima mea Dominum:
Et exultavit spiritus meus in Deo, salutari meo.
Quia respexit humilitatem ancillae suae: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
Quia fecit mihi magna, qui potens est: et sanctum nomen ejus.
Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.
Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.
Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.
Esurientes implevit bonis: et divites dimisit inanes.
Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiae suae.
Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, et semini ejus in saecula.
Gloria Patri, et Filio et Spiritui sancto.
Sicut erat etc.

Festo Assumptionis B. M. V.

Virgo prudentissima, quo progrederis, quasi aurora valde rutilans? filia Sion tota formosa et suavis es: pulchra ut luna, electa ut sol.

V. Exaltata est sancta Dei genitrix.

R. Super choros Angelorum ad coelestia regna.

Oratio.

Famulorum tuorum, quaesumus, Domine, delictis ignosce: ut, qui tibi placere de actibus nostris non

valemus, genitricis Filii tui, Domini nostri, intercessione salvemur: Qui tecum vivit et regnat etc.

Alia oratio.

(Ex S. Anselmo.)

Virgo serenissima, Dei genitrix, sancta Maria, per merita tuae gloriosae Assumptionis, et per amorem tui dulcissimi Filii, a quo assumpta es in coelum, da mihi virtutem contra hostes tuos, et in regnum aeternum ingredi. Felix namque es, sacra virgo Maria, et omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol justitiae, Christus Deus noster. Sicut Cedrus exaltata in Libano, et sicut Cypressus in monte Sion, quasi myrrha electa dans suavitatem odoris. Exaltata super choros Angelorum, gaudens et gloriosa in perpetuum Regina coelorum, ubi adjuvas omnes, qui te Dominam glorificant, et sanctum nomen tuum humili prece frequentant.

Beata ergo et venerabilis virgo Maria, quae benigna es omnibus ad te pio corde clamantibus, pia et exorabilis esto mihi peccatori te humiliter invocanti; sub tuam protectionem confugio, ubi infirmus accepi virtutem. Illam animi et corporis virtutem cum tuo praesidio fac me accipere; ut per te liber à peccatis et desideriis peccatorum, sine timore de manu inimicorum visibilium et invisibilium liberatus filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum, possim omni tempore benedicere, et semper laudem ejus in ore meo habere. O Virgo gloriosa, quae mortem subiisti, sed mortis nexibus deprimi non potuisti, quia tu sola Virgo genuisti eum, qui erat

mors mortis, et morsus inferni. Adjuva me per mortem tuam, et per gaudia tuae Assumptionis in coelum; ut residuum vitae meae possim cum sincera fide tuo adjutorio ducere, et finem vitae meae feliciter terminare in cinere et cilicio in terra prostratus cum lacrymis, in confessione et poenitentia peccatorum meorum: insuper, quod majus est, in confessione nominis Christi, et in perceptione Corporis et Sanguinis ejus; et in commendatione spiritus mei in manus misericordiae suae. Ora pro me, sancta Dei genitrix, ut qui conscius peccatorum multorum tribunal filii tui tremebundus perhorresco, per tuam venerabilem intercessionem gaudeam emundari ab omnibus criminibus meis, cordis compunctione irrigante, et rore piissimae confessionis à te exhibito. Nullâ de caetero macula peccati anima mea inquinetur; sed mundo corde et casto corpore per merita gloriosissimae assumptionis tuae in excelso coelorum palatio possim praesentari, in quo gloriosa exultas et regnas, Regina Angelorum et hominum, Mater Domini nostri Jesu Christi. Succurre meis criminibus, Mater misericordiae, tuis virgineis precibus veniam mihi obtinendo apud tuum dulcem natum, Jesum Christum Dominum, nostrum: Qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat benedictus etc.

Hymnus.

(Ex brev. Praemonstr.)

O quam glorifica luce coruscas,
Stirpis Davidicae regia proles!
Sublimis residens, Virgo Maria,
Supra coeligenas aetheris omnes!

Tu cum virgineo mater honore
Coelorum Domino pectoris aulam
Sacris visceribus casta dedisti:
Humanos Deus hinc induit artus,

Quem cunctus venerans orbis adorat;
Cui nunc rita genu flectitur omne;
A quo, te precibus subveniente,
Aeterni petimus gaudia regni.

Divinae soboli qui dare matrem
In terris voluit, gloria Patri!
Cujus Virgo parens, gloria Nato!
Quo foecunda, tibi gloria, Flamen!

Festo Nativitatis B. M. V.

Nativitas tua, Dei genitrix virgo gaudium annuntiavit universo mundo: ex te enim ortus est sol justitiae, Christus Deus noster, qui solvens maledictionem dedit benedictionem, et confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.

Cum jucunditate Nativitatem beatae Mariae celebremus: Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

Antiphona.

Salve Regina, mater misericordiae, vita, dulcedo, et spes nostra salve. Ad te clamamus, exules filii Evae. Ad te suspiramus, gementes et flentes, in hac lacrymarum valle. Eja ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post

hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria.

V. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

(Ex S. Anselmo.)

Dignare me laudare te, Virgo sacrata, da mihi virtutem contra hostes tuos, et contra hostem totius humani generis. Da mihi virtutem, te humiliter deprecandi. Da mihi virtutem, te cum precibus obnixe laudandi, per merita tuae sacratissimae Nativitatis, quae nata es in mundum universae Christianitati gaudium, spes vitae, et solatium. Quando nata es, Virgo sanctissima, tunc illuminatus est mundus. Stirps beata, radix sancta, et benedictus fructus tuus, quae sola meruisti, Spiritu sancto plena Virgo Deum concipere, Virgo Deum portare, Virgo parere, Virgo post partum permanere. Miserere igitur mei peccatoris, et adjuva me, Domina, ut sicut Nativitas tua gloriosa ex semine Abrahae, orta de tribu Juda, clara ex stirpe David, gaudium annuntiavit universo mundo; ita me gaudio vero repleat, et emundet ab omni peccato. Ora pro me, Virgo providentissima, et laetissima gaudia tuae saluberrimae Nativitatis velamen indulgentiae conferant cunctis meis peccatis. Sancta Dei genitrix, florens ut lilium, ora tuum dulcem natum pro me misero peccatore.

Amen.

Hymnus.

O quam felix fulsit hora,
Qua consurgens haec Aurora
Mortis umbram dissipat!
Quae natalem nacta purum,
Tota pulchra jam venturum
Mundo Solem nunciat.
O Beata, quae futura
Dei Mater es natura;
Nobis Mater Gratiae,
Paradisus voluptatis,
Et Asylum libertatis;
Causaque laetitiae.

Festum Sanctissimi Nominis B. M. V.

Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, rèfove flèbiles, ora pro populo, intérveni pro clero, intercéde pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvámen, quicumque celebrant tui sancti Nominis commemorationem.

V. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.
R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oratio.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus; ut fideles tui, qui sub sanctissimae virginis Mariae Nomine et protectione laetantur: ejus pia intercessióne à cunctis malis liberéntur in terris, et ad gaudia

aeterna pervenire mereatur in coelis. Per Dominum etc.

Hymnus.

(S. Casimirus.)

Omni die
Dic Mariae
Mea laudes anima:
Ejus festa
Ejus gesta
Cole devotissima.
Contemplare
Et mirare
Ejus celsitudinem:
Dic felicem
Genitricem,
Dic beatam Virginem.
Ipsam cole;
Ut de mole
Criminum te liberet:
Hanc appella;
Ne procella
Vitiorum superet.
Haec persona
Nobis dona
Contulit coelestia:
Haec Regina
Nos divina
Illustravit gratia.
Lingua mea
Dic trophaea
Virginis Puerperae;

Quae inflictum
Maledictum
Miro transfert germine,
Sine fine
Dic Reginae
Mundi laudum cantica:
Ejus bona
Semper sona,
Semper illa praedica.

Omnes mei
Sensus ei
Personate gloriam:
Frequentate
Tam beatae
Virginis memoriam.

Nullus certe
Tam disertae
Extat eloquentiae,
Qui condignos
Promat hymnos
Ejus excellentiae.

Omnes laudent,
Unde gaudent,
Matrem Dei Virginem;
Nullus fingat,
Quod attingat
Ejus celsitudinem.

Sed necesse,
Quod prodesse
Piis constat mentibus,

Ut intendam,
Quod impendam
Me ipsius laudibus.

Quamvis sciam,
Quod Mariam
Nemo digne praedicet,
Tamen vanus
Et insanus
Est, qui illam reticet.

Cujus vita
Erudita
Disciplina coelica,
Argumenta
Et figmenta
Destruxit haeretica.

Hujus mores,
Tanquam flores,
Exornant Ecclesiam;
Actiones
Et sermones
Miram praestant gratiam.

Evae crimen
Nobis limen
Paradisi clauserat;
Haec dum credit,
Et obedit,
Coeli claustra reserat.

Propter Evam
Homo saevam
Accepit sententiam;

Per Mariam:
Habet viam,
Quae ducit ad patriam.
Haec amanda
Et laudanda
Cunctis specialiter:
Venerari
Et precari
Eam decet jugiter.
Ipsa donet,
Ut, quod monet
Natus ejus, faciam:
Ut finita
Carnis vita
Laetus hunc aspiciam.

Festo Exspectationis Partus B. M. V.

Ecce Dominus noster cum virtute veniet et illuminabit oculos servorum suorum, alleluja.

V. Ex Sion species decoris ejus.

R. Deus noster manifeste veniet.

Oratio.

Deus, qui de beatae Mariae virginis utero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: praesta supplicibus tuis, ut qui vere eam genitricem Deo credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Dominum nostrum.

Alia Oratio.

(Ex S. Anselmo.)

Virgo sanctissima, da mihi virtutem per merita tui sanctissimi virginei Partus, contra hostes tuos. Benedicta es enim Maria, quae Dominum omnium portasti creatorem saeculorum. Genuisti, qui te fecit, et in aeternum permanes Virgo. Beata viscera, quae portaverunt aeterni Patris filium. Beata ubera tua, quae lactaverunt Christum Dominum. Beata et venerabilis es, Virgo Maria, omnium bonorum beatitudine plena. Beata mater, quae sola sine dolore genuisti, quia tu sola peperisti Virgo. Beata et benedicta inter mulieres; quia natus ex te Virgine Christus Deus noster. Per gaudia tui sanctissimi virginei Partus miserere mei, Domina mea; et exaudi orationem meam. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; et in peccatis concepit me mater mea.

In peccatis sum natus, et in peccatis conversatus sum per omne tempus vitae meae. Tu autem, Domina mea, sine tactu pudoris inventa es mater Salvatoris. Miserere mei immundi, qui in peccatis conceptus et nutritus sum; et adjuva me tuis sanctis precibus, Virgo serenissima: ut sicut Nativitas filii tui Domini nostri Jesu Christi ruina fuit horribilis tristitiae, nativitas universis fidelibus novae exultationis; ita et mihi haec eadem gaudia Dominicae nativitatis sint initium vitae religiosae et salutaris continentiae, et ruina totius injusti moeroris et iniquae tristitiae, et nativitas spiritualis gaudii et

exultationis, et amor et desiderium coelestis patriae et supernae laetitiae. Sancta Dei genitrix succurre, et intercede apud dulcem tuum natum pro me peccatore.

Amen.

Pro omnibus festis B. M. V.

Antiph. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tu.

V. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

O Domina mea sancta Maria! me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, et in sinum misericordiae tuae, hodie, et quotidie, et in hora exitus mei, animam meam, et corpus meum tibi commendo; omnem spem meam, et consolationem meam, omnes augustias, et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo; ut per tuam sanctissimam intercessionem, et per tua merita omnia mea dirigantur et disponantur opera, secundum tuam, tuique Filii voluntatem.

Amen.

Hymnus.

Ave Virgo singularis,
Mater nostri Salutaris,
Coeli Decor, Stella Maris,
Arca mundi mystica.

Nos in hujus Vitae Mari
Ne permittas naufragari;
Sed favoris vela cari
Clemens in nos explica.
Saevit mare, furunt venti,
Fluctus surgunt turbulenti;
Navis currit; sed currenti
Heu, quot obstant noxia!
Hic Sirenes voluptatis,
Mundus, Caro cum Piratis:
Mortem paene desperatis
Haec intentant omnia.
Post abyssos nunc ad Coelum
Fluens unda fert phaselum,
Nutat malus, fluit velum;
Falax fugit Anchora.
Heu tabescit in his malis
Homo noster animalis,
Sed tu Mater specialis
Ad succursum propera.
Tu perfusa Coeli rore,
Castitatis salvo flore,
Novum fructum novo more
Protulisti saeculo.
Verbum Patri coaequale,
Corpus sumat ut mortale,
Claustrum subit Virginale;
Latens hoc ergastulo.
Te praevidit et elegit,
Qui potenter cuncta regit,
Nec pudoris claustra fregit,

Sacra replens viscera.
Contra primae Matris morem,
Nec pressuram, nec dolorem,
Pariendo Salvatorem,
Sustinens puerpera.
Radix sancta, radix viva,
Flos et Vitis, et Oliva,
Nulla quamvis insitiva
Juvit, ut fructificet.
Lampas Soli, splendor Poli,
Quae fulgore praeis Soli,
Nos commenda tuae Proli,
Moestos fac laetificet.
O Maria pro tuorum
Dignitate meritorum,
Supra Chores Angelorum
Sublimaris unice.
Sede fulgens jam superna,
Sorte gaude sempiterna;
Pietate sed materna,
Nos in imo respice.
In conspectu Summi Regis
Sis devoti memor gregis,
Qui transgressus jussu legis
Supplicat pro gratia.
En stat miser poena dignus:
Sed et Judex en benignus
Reis spei dedit pignus
Crucis factus hostia.
Jesu, sacri Ventris Fructus,
Nobis sis per mundi fluctus

Via, Lux, Dux, et Conductus
  Salvus ad coelestia.
Tene clavum, rege navem,
Tempestatem seda gravem,
Nos in portum induc suavem
  Tua pro clementia.
                Amen.

Orationes diversae.

Ad impetrandam protectionem divinae Matris.

(Ex S. Alphonso Liguori.)

Sanctissima, immaculata Virgo, dilectissima Mater Maria! Tu es Mater Domini et Salvatoris mei, Regina mundi, Advocata, Spes et Refugium peccatorum. Ad te confugio, miserrimus peccatorum. Ad pedes tuos provolutus, qua par est devotione, humillimam submissionem depono, et gratias ago pro tantis mihi misero ad hanc horam usque donatis gratiis, imprimis autem, quod me pia intercessione ab infero, quem toties ob peccata mea merui, salvasti. Amo te, o prae omnibus amanda Domina et Regina, et ex purissimo amore tui firmissime propono, tibi usque ad exitum vitae servire et quantum in me est, alios inducere, ut Tibi serviant. In Te, Domina, post Jesum Christum, Filium tuum, omnem spem et totam salutem animae pono. Suscipe me servum tuum, o Mater misericordiae, et conserva me sub Tuo potenti praesidio. Quum sciam, Te

omnia apud Deum posse, gemo et clamo anxio corde: serva me ab omnibus periculis, vel subveni mihi, ut vincam. Expeto abs Te verum amorem Jesu Filii Tui. Per te quoque beate mori spero. O piissima Mater! Oro Te per amorem Dei, ut semper mihi assistas, praesertim autem in gravissima hora mortis. Ne me deseras, donec me non inter beatos videas. Ibi te praedicabo, ibi misericordiam tuam semper laudabo. Sic spero, sic fiat!

Pro conservanda Castitate.

O Sanctissima Virgo, et Mater Maria, mundissimum pietatis speculum, et purissimum Virginitatis exemplar! Ego N. ex intimo te imitandi desiderio et amore castitatis accensus, firmiter propono, me, quoad vixero, nullis unquam inhonestis cogitationibus aut desideriis scienter inhaesurum, aut consensurum, neque unquam aliquid cogitatione, verbo, opere, vel quovis alio modo facturum, aut permissurum, quod castitati adversum intelligam; et haec omnia ad majorem Dei gloriam, animaeque meae salutem.

Te igitur, o castissima Virgo! ego indignissimus filius, per tuam Virginitatem rogo, mihi impetres a dilectissimo Filio tuo gratiam et auxilium, ut, quod verbis offero, opere praestem, et sincerus semper castitatis et constans pietatis amator existam, donec tandem ad coelestes Filii Tui nuptias admittar, suavissimis Sanctorum epulis reficiendus in coelis. Amen.

Trina Salutatio B. V. à S. Mechtilde usurpata pro impetranda felici morte.

Ave Maria etc.

O Domina mea, S. Maria, sicut Deus Pater per omnipotentiam suam te potentissimam efficit: ita mihi, quaeso, adsis in hora mortis, omnemque mihi contrariam potestatem à me potenter averte.

Ave Maria etc.

O Domina mea, S. Maria, sicut Filius Dei divina sua scientia et sapientia te replevit; ita, quaeso, animam meam lumine fidei in hora mortis illustra et corrobora, ut nullo errore aut ignorantia pervertatur, et in perditionem seducatur.

Ave Maria etc.

O Domina mea, S. Maria, sicut Spiritus S. suum amorem plene tibi infudit; ita tu in morte divini amoris dulcedinem mihi instilla, per quam omnis angor et amaritudo tollatur, et cor meum coelesti consolatione recreetur.

Oratio, qua B. Virgo in Patronam eligitur.

Sanctissima Virgo, Mater Dei Maria, ego N. licet undecunque, qui recipiar in numerum tuorum servorum, indignissimus: fretus tamen tua pietate admirabili, et impulsus tibi serviendi desiderio, eligo te hodie, coram castissimo sponso tuo Josepho, et Angelo meo Custode, universaque curia coelesti in meam peculiarem Dominam, Patronam, et Matrem, firmiterque propono, te in posterum sequi, tibi famulari, atque curare, ut ab aliis tibi quoque

servitium exhibeatur. A te igitur, Mater clementissima, per sacratissimum, quem pro me Jesus Christus, Filius Tuus, sanguinem fudit, peto suppliciter, ut me in numerum filiorum tuorum admittere digneris, et mihi a Deo gratiam impetres, ut in cunctis meis cogitationibus, verbis, et operibus ita me habeam, ut nihil unquam in me, neque Dei, neque tuis displiceat oculis, sisque memor mei in hora mortis meae. Amen.

Alia precatio.

(Ex Venerabl. L. Blosio.)

Miserere mei Domina, miserere mei: quia miseratio tecum crevit ab infantia. Magnam miseriam indignissimi peccatoris sublevet magna atque ingens miseratio piissimae Matris. Largire, o benigna, ut illis me innumeres, quos tanquam filios amas, doces, dirigis, foves, ac protegis: quia tu es, et semper eris dulcis spes mea post Dominum, ac dulce solatium animae meae. Utinam gratum obsequium tibi praestare possim! — Ego hactenus te digne non colui: pro qua negligentia et offensû meâ offero tibi mellifluum cor unigeniti tui Jesu Christi. O carum praesidium meum! occurre quaerenti te, et adjuva confidentem in te. Separa mentem meam ab omnibus, quae sub coelo sunt, faciens illam praegustare mellitas sorbitiunculas jucunditatis aeternae, ad gloriam Dei. Amen.

Litania Lauretana.

Kyrie eleison.
Christe eleison.

Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, Miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi Deus, Mis. etc.
Spiritus sancte Deus, Mis. etc.
Sancta Trinitas, unus Deus, Mis. etc.
Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,

Ora pro nobis!

Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Janua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium.

Ora pro nobis!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis, Domine.
Agnus Dei, etc. Exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, etc. Miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

Ave Maria etc.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in ne-

cessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta, Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

V. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde: ut qui Angelo nuntiante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus et Crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

V. Ora pro nobis, beatissime Joseph.
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Sanctissimae Genitricis tuae sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis etc.

V. Domine exaudi etc.
R. Et clamor meus etc.
V. Benedicamus etc.
V. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

Salve Regina.

Salve Regina, Mater misericordiae, vita, dulcedo, et spes nostra salve. Ad te clamamus exules filii Evae. Ad te suspiramus gementes et flentes

in hac lacrymarum valle. Eja ergo advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens! o pia! o dulcis Virgo Maria!

V. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante praeparasti; da, ut, cujus memoratione laetamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis, et a morte perpetua liberemur. Per eundem Christum, Dominum nostrum.

R. Amen.

Canticum

S. S. Ambrosii et Augustini in laudem B. V. translatum a S. Bonaventura.

Te Matrem Dei: laudamus.
Te Mariam Virginem: profitemur.
Te aeterni Patris Sponsam: omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli et Archangeli,
Tibi throni et principatus: fideliter deserviunt.
Tibi omnes Potestates, et omnes Virtutes, coeli coelorum, et universae Dominationes obediunt.

Tibi omnes Chori; tibi Cherubim et Seraphim exultantes assistunt.

Tibi omnis Angelica creatura incessabili voce proclamat:

Sancta, Sancta, Sancta Maria Dei Genitrix: Mater et Virgo.

Pleni sunt coeli et terra: Majestatis gloriae fructus ventris tui.

Te gloriosus Apostolorum chorus sui Creatoris Matrem collaudat.

Te beatorum Martyrum coetus candidatus: Christi Genitricem glorificat.

Te gloriosus Confessorum exercitus: Trinitatis templum appellat.

Te sanctarum Virginum chorea amabilis: virginitatis et humilitatis exemplum depraedicat.

Te coelestis curia: Reginam honorat.

Te per orbem universum Ecclesia invocando concelebrat: Matrem divinae Majestatis.

Venerandam te veram Regis coelestis Puerperam: sanctam quoque, dulcem, et piam veneratur.

Tu Angelorum Domina: tu paradisi janua.

Tu scala regni coelestis, et gloria: tu thalamus, tu Arca pietatis et gratiae.

Tu vena misericordiae: tu Sponsa et Mater Regis aeterni.

Tu templum et sacrarium Spiritus Sancti: totius sanctissimae Trinitatis nobile triclinium.

Tu mediatrix Dei et hominum: amatrix mortalium.

Tu agonizatrix pugnantium, advocata pauperum: miseratrix et refugium peccatorum.

Tu erogatrix munerum: superatrix ac terror daemonum et superborum.

Tu mundi Domina, coeli Regina; post Deum sola spes nostra.

Tu salus te invocantium, portus naufragantium: miserorum solatium, pereuntium refugium.

Tu Mater omnium Beatorum, gaudium plenum post Deum: omnium supernorum Civium solatium.

Tu promotrix Justorum, congregatrix errantium: promissio Patriarcharum.

Tu veritas Prophetarum, praeconium et doctrix Apostolorum: magistra Evangelistarum.

Tu fortitudo Martyrum, exemplar Confessorum: honor et festivitas Virginum. Tu ad liberandum exulem hominem Filium Dei suscepisti in uterum.

Per te expugnato hoste antiquo: sunt aperta fidelibus regna coelorum.

Tu cum Filio tuo sedes: ad dexteram Patris.

Tu ipsum pro nobis roga, Virgo Maria: quem nos ad judicandum credimus esse venturum.

Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni: qui pretioso Sanguine Filii tui redempti sumus.

Aeterna fac pia Virgo: cum Sanctis omnibus nos in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Domina: ut simus participes haereditatis Filii tui.

Et rege nos et custodi nos: in aeternum.

Per singulos dies: o Mater, te salutamus.

Et laudare cupimus: usque in aeternum.

Dignare dulcis Maria: nunc et semper nos sine delicto custodire.

Miserere pia nobis: miserere nobis.

Fiat misericordia tua magna nobiscum: quia in te, Virgo Maria, confidimus.

In te, o dulcis Maria, speramus: defende nos in aeternum.

Te, o Mater Dei, decet laus, et imperium: virtus et gloria in saecula saeculorum.

Amen.

Cultus Sanctorum.

Invitatio ad Sanctos Venerandos.

Christus ad Sacerdotem.

Mi fili, si ob peccata contristatus in coelum iratum suspicere non audes; Sancti, qui tibi praecesserunt, qui ipsi migrantes in valle miseriarum, contra libidines pugnaverunt et in imbecillitate naturae suae saepius victi sunt, en, amicas tibi manus porrigunt, pro te apud me, benignissimum tuum Deum, intercedunt et veniam gratiamque expetunt! Non frustra misericordiam meam implorant; nam intimi amici et charissimi mei filii sunt, mecum gloriose regnant, ac mirum in modum mihi placet, ut ab omnibus Christianis in magna veneratione habeantur. — Sacerdos es, sanctus esse debes: mi fili, imple igitur voluntatem meam, et Sanctorum patrociniis saepius confidenter te commenda! —

Oratio ad Sanctos omnes Ecclesiae triumphantis.

(Ex Vener. L. Blosio.)

O gloriosi spiritus Angelici, qui voce consonâ Deum semper laudatis, ejusque deliciis jugiter fruimini, orate pro me et praecipue tu, Angele beate, custos animae meae et corporis mei, cui a Domino singulariter commissus sum, gere fidelem mei curam: vosque Sancti Dei omnes, qui, trajecto hujus exilii

pelago pervenistis feliciter ad portum patriae coelestis, intercedite pro me. Ego vos humiliter veneror, humiliter vos in patrocinium mei invoco: adjuvate me, quaeso, vestris meritis atque orationibus, nunc et in hora mortis meae.

Amen.

Alia oratio ad omnes Sanctos.

Quis erit mihi, quaeso, fidus amicus? Quis mihi fideliter aderit in extrema mea necessitate? In illa destricta hora quis tunc mihi erit auxilio? quis loquetur aut respondebit pro me?

Virgo gloriosa, spes certa et refugium singulare peccatorum, et tu, Sancte Angele Dei, custos bone, ac caeteri alii Sancti Coelestes, adestote tunc mihi, et mei estote adjutores. Tunc me defendite, tunc mihi consulite, tunc me associate, me praesentate ad dexteram, ante faciem summi judicis.

Sub vestra protectione propellite omnes illos infernales, me devorare quaerentes.

Impetrate tunc mihi gratiosam sententiam:

„Veni, benedicte Patris mei, accipe regnum, quod paratum est ab initio mundi!“

Litania de omnibus Sanctis.

Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison,
Christe, audi nos,
Christe, exaudi nos,
Pater de coelis Deus, Miserere nobis,

Fili, redemptor mundi, Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphael,
Omnes sancti Angeli et Archangeli,
Omnes sancti beatorum spirituum ordines,
Sancte Joannes Baptista,
Sancte Joseph,
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae,
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomaee,
Sancte Mathaee,
Sancte Simon,
Sancte Thaddaee,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae.

Ora pro nobis, vel orate!

Omnes sancti Discipuli Domini,
Omnes sancti Innocentes,
Sancte Stephane,
Sancte Laurenti,
Sancte Vincenti,
} **Ora pro nobis, vel orate!**

Sancti Fabiane et Sebastiane,
Sancti Joannes et Paule,
Sancti Cosma et Damiane,
Sancti Gervasi et Protasi,
Omnes sancti Martyres,
Sancte Sylvester,
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine,
Sancte Nicolae,
Omnes S. S. Pontifices et Confessores,
Omnes sancti Doctores,
} **Ora pro nobis, vel orate!**

Sancte Antoni,
Sancte Benedicte,
Sancte Bernarde,
Sancte Dominice,
Sancte Francisce,
} **Ora pro nobis!**

Omnes sancti Sacerdotes et Levitae, Orate pro nobis!
Omnes sancti Monachi et Eremitae, Orate pro nobis!
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Caecilia,

Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
Omnes sanctae Virgines et Viduae,
Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro nobis!
Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira et odio, et omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgore et tempestate,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctae Incarnationis tuae,
Per Adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per Baptismum et sanctum jejunium tuum,
Per Crucem et Passionem tuam,
Per mortem et Sepulturam tuam,
Per admirabilem Ascensionem tuam,
Per adventum Spiritus sancti Paracleti,
In die Judicii,
} Libera nos, Domine!
Peccatores, Te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus, audi nos.
Ut nobis indulgeas, Te rogamus, audi nos.
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris, Te rogamus, audi nos.

Ut Domnum Apostolicum, et omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta Religione conservare digneris,

Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris,

Ut Regibus et Principibus Christianis pacem et veram concordiam donare digneris,

Ut cuncto populo Christiano pacem et unitatem largiri digneris,

Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conversare digneris,

Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas,

Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,

Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias,

Ut fructus terrae dare et conservare digneris,

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,

Ut nos exaudire digneris,

Fili Dei,

} Te rogamus, audi nos!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Pater noster etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem.
R. Sed libera nos a malo.

V. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

(Alb. Mag.)

Omnes Sancti in universum nos intercessione sua laetificent, ut, dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus, et Pacem tuam nostris concede temporibus, et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam.

Corda nostra illumina, actus nostros ad voluntatem dispóne. Super nos famulos tuos propitius respice. Aëris temperiem indulge, fructus terrae concede, amicis inimicisque nostris veram caritatem largire, incredulos converte, errantes corrige, hostes nostros ad concordiam adige.

Omnibus de quacunque necessitate ad te clamantibus misericordiam opportunam largire. Omnibus nobis commissis gratiam juxta votum uniuscujusque impende. Omnibus nobis benefacientibus sempiterna bona retribue; et omnibus fidelibus defunctis vitam aeternam dona. Per Dominum Nostrum Jesum Christum, Filium tuum. Amen.

Alia Oratio ad omnes Sanctos.

(Ex S. Augustino.)

O felices Sancti Dei omnes, qui jam transiistis hujus mortalitatis pelagus, et pervenire meruistis ad portum perpetuae quietis, securitatis, pacis: securi et tranquilli, semperque festivi atque gaudentes estis: Obsecro vos per vestram charitatem, qui securi estis de vobis, soliciti estote de nobis: securi estis de vestra immarcessibili gloria, solliciti estote de nostra multiplici miseria. Per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine jam satiamini, de cujus immortalitate jam immortales facti estis, de cujus beatissima visione semper gaudetis. Amen.

Orationes pro Festis quorundam Sanctorum.

Festo S. Josephi.

Officium Parvum.

Ad Matutinum.

Salve Patriarcharum decus et Ecclesiae sanctae Dei Oeconome, cui panem vitae et frumentum Electorum conservasti.

V. Domine labia mea aperies.
R. Et os meum annuntiabit etc.
V. Deus in adjutor. etc.
Gloria Patri etc. Allel. vel Laus tibi Domine etc.

Hymnus.

Magne Joseph, Fili David,
Custos date Virgini,
Quem et Virgo nuncupavit
Patrem Christi Domini;
Qui fidelis Servus Dei
Datus es familiae,
Precor velis curam mei,
Tanquam Pater gerere.

Antiph. Constituit eum Dominum Domus suae et Principem omnis possessionis suae. Ps. 104.

V. Ora pro nobis, beatissime Joseph.
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Sanctissimae Genitricis tuae sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur, ut quod indignitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis etc.

V. Domine exaudi etc.
V. Benedicamus etc.
V. Et fidelium etc.

Ad Primam.

Salve Patriarcharum decus et Ecclesiae sanctae Dei oeconome, cui panem vitae et frumentum Electorum conservasti.

V. Deus in adjutor. etc.

Hymnus.

Cum ferentem castam Matrem
Conspexisses uterum,
Et nescires tamen Patrem,
Cor gerebas anxium;
Sed de coelo mox instructus,
Posuisti dubium.
Fac, ut omnis meus luctus
Transeat in gaudium.

Antiph. Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Math. 1. 20.

V. Ora pro nobis etc. cum Orat. vide supra.

Ad Tertiam.

Salve Patriarcharum decus etc. p. 165.

V. Deus in adjutor. etc.

Hymnus.

Dum in Bethlem profecturus,
Pergeres cum Virgine,
Deus nobis par futurus,
Natus est in tempore.
Quem in foeno collocatum,
Coluisti gnaviter:
Nunc in coelo elevatum
Ora pro me jugiter.

Antiph. Ascendit Joseph à Galilaea de Nazareth in Judaeam, in civitatem David, quae vocatur Bethlehem, cum Maria desponsata sibi uxore praegnante. Luc. 2. 4.

V. Ora pro nobis, etc. cum Orat. vide p. 165.

Ad Sextam.

Salve Patriarcharum decus, etc. vide p. 165.

V. Deus in adjutor. etc.

Hymnus.

Vim Herodis evasisti
Monitus ab Angelo;
In Aegyptum cum duxisti
Virginem cum parvulo
Per moerorem, quem tulisti,
Isto in exilio,
Cum gravabor hora tristi
Mihi sis auxilio.

Antiph. Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Aegyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi; futurum est enim, ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum. Math. 2.

V. Ora pro nobis, etc. Orat. vide p. 165.

Ad Nonam.

Salve Patriarcharum decus, etc. vide pag. 165.

V. Deus in adjutor. etc.

Hymnus.

Ex Aegypto cum defessus
Galilaeam peteres,
Es in Nazareth digressus,
Ut securus degeres.
In florentis hortum mentis
Amas Jesum ducere:
Da, florescat et mitescat
Hortus meae animae.

Antiph. Et consurgens ex Aegypto, accepit Puerum et Matrem ejus, et venit in terram Israel, et habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth. Matth. 2.

V. Ora pro nobis, etc. cum Orat. vide 165.

Ad Vesperas.

Salve Patriarcharum decus, etc. vide p. 165.

Hymnus.

Quam dolebas, cum quaerebas
Duodennem Jesulum!

Sed inventus et retentus
Auxit ille gaudium.
Jesum, Lumen oculorum,
Fac me nunquam perdere:
Semper puritate morum
Menti adsit integrae.

Antiph. Fili, quia fecisti nobis sic? Euge Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. Luc. 2.

V. Ora pro nobis, etc. cum Orat. vide p. 165.

Ad Completorium.

Salve Patriarcharum decus, etc. vide p. 165.

V. Converte nos, Deus salutaris noster.
R. Et averte iram tuam à nobis.
V. Deus in adjutorium meum intende etc.
Gloria Patri etc.
R. Sicut erat etc.

Hymnus.

Inter Jesu et Mariae
Manus integerrimas,
Spiritum emittis pie
Hinc ad sedes superas;
Eja Jesu et Mariae
Te conjunge tertium,
Quando me suprema die
Mors citabit anxium.

Antiph. In pace in idipsum dormiam et requiescam: quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. Ps. 4. 9.

V. Ora pro nobis etc. cum Orat. vide p. 165.

Commendatio.

Cliens tibi dedicatus
  Solvit hoc Officium,
Ejus votis tu vocatus
  Redde beneficium;
Ut post hujus vitae metam
  Tuo patrocinio,
Tecum vivam vitam laetam
  Coeli in palatio.

Litania.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, Miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi Deus, Mis. etc.
Spiritus sancte Deus, Mis. etc.
Sancta Trinitas, unus Deus, Mis. etc.
Sancta Maria, sponsa Joseph,
S. Joseph, Sponse Mariae Virginis,
Tutor et nutritie Jesu,
Vir secundum Cor Dei,
Fidelis servus et prudens,
Custos virginitatis Mariae,
Comes et solatium Mariae,
In virginitate mundissime,
In humilitate profundissime,
In charitate ardentissime,

} Ora pro nobis!

In contemplatione altissime,
Qui vir justus ipsius Spiritus sancti testimonio comprobatus es,
Qui in divinis mysteriis prae omnibus illuminatus fuisti,
Qui de sacro incarnati Verbi mysterio coelitus doctus es,
Qui cum Maria, desponsata tibi conjuge, praegnante in Bethlehem profectus es,
Qui non inveniens locum in diversorio, ad stabulum divertisti,
Qui Christo nascenti positoque in praesepio adesse meruisti,
Qui Jesu sanguinem in circumcisione excepisti,
Qui puerum Jesum in templo cum Maria Matre Domino praesentasti,
Qui Angeli monitu accepto cum puero et Matre ejus in Aegyptum fugisti,
Qui defuncto Herode cum puero et Matre ejus in terram Israël rediisti,
Qui amissum in Jerusalem Filium triduo cum Maria, Matre ejus, dolens quaesivisti,
Qui post triduum sedentem illum inter Doctores gaudens invenisti,
Qui Dominum dominantium tibi in terris subditum habuisti,
Cujus laus est in Evangelio: Vir Mariae, de qua natus est Jesus,

Ora pro nobis!

Advocate noster, audi nos S. Joseph.
Patrone noster, exaudi nos S. Joseph.

In omnibus necessitatibus nostris,
In omnibus angustiis nostris,
In hora mortis nostrae,
Per castissimam desponsationem tuam,
Per paternam curam et fidem tuam,
Per labores et sudores tuos,
Per omnes virtutes tuas,
Per summum honorem, et sempiternam beatitudinem tuam,
Per fidelem intercessionem tuam,

Adjuva nos, S. Joseph!

Clientes tui, Te rogamus audi nos.

Ut à Jesu peccatorum nostrorum veniam nobisimpetrare digneris,
Ut Jesu et Mariae, fideliter nos commendare digneris,
Ut omnibus in virginali et conjugali statu viventibus convenientem castitatem impetrare digneris,
Ut omnibus congregationibus perfectum amorem et concordiam impetrare digneris,
Ut Praesidibus ac Praelatis omnibus in subditorum suorum gubernatione adesse digneris,
Ut patribusfamilias in Christiana liberorum educatione opitulari digneris,
Ut omnes de tuo patrocinio confidentes protegere digneris,
Ut congregationibus tuo nomine et patrocinio institutis paterno semper auxilio subvenire digneris,

Te rogamus, audi nos!

Ut cum Jesu et Maria in extremo vitae articulo nos invisere et praesto esse digneris,

Ut omnibus fidelibus defunctis intercessionis tuae suffragio succurrere digneris,

O caste Mariae sponse,

O fidelis Jesu Nutritie,

S. Joseph,

Te rogamus, audi nos!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce, nobis, Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis Jesu.

Jesu Christe audi nos.

Jesu Christe exaudi nos.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater noster etc.

V. Ora pro nobis beatissime, Joseph.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui S. Josephum in Sponsum Mariae semper Virginis, et filii tui dilecti Domini nostri Jesu Christi Tutorem et Nutritium elegisti: te supplices exoramus, animae et corporis puritatem ejus nobis patrocinio concede propitius: ut puri ab omni macula, et veste nuptiali ornati, ad coeli nuptias admitta-

mur. Per eundem Dominum nostrum, Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat etc.

Festo S. Annae.

Antiph. Coeleste beneficium introivit in Annam, ex qua nobis nata est B. V. Maria.
V. Ora pro nobis, Sancta Anna.
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

Deus, qui B. Annae tantam gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis unigeniti Filii tui Mater effici mereretur: concede propitius, ut cujus memoriam veneramur in terris, ejus apud te patrociniis adjuvemur in coelis. Per eundem Dominum.

Hymnus.

Anna, pia Mater, ave,
Cujus nomen est suave,
Anna sonat gratiam.
Ave Jesse radix florens,
Quae coelestes das odores,
Perennem fragrantiam.
Ave patens stella maris,
Quam tu nuptam contemplaris,
Regis Regum Filio.
Tu, quae sola meruisti,
Parens esse Matris Christi,
Preces nostras suscipe.

Tu nos Matri atque Patri,
Regi ac Reginae poli,
Commendare ne desine.

Oratio ad S. Angelum Custodem.

O fidelissime Comes, à Deo tutelae meae assignate! protector et defensor meus, numquam recedens a latere meo: quas tibi gratias referam pro fide, amore, innumerisque in me collatis beneficiis? Tu dormienti advigilas; moestum solaris; dejectum erigis; imminentia pericula avertis; futura doces cavere; a peccatis abstrahis; ad bonum impellis; lapsum ad poenitentiam hortaris, Deoque concilias. Jam dudum fortassis in infernum detrusus fuissem, nisi tuis precibus divinam à me iram avertisses. Ne, precor, me unquam deseras; in adversis solare; in prosperis contine; in periculis tuere; in tentationibus adjuva, ne iis unquam succumbam. Preces et gemitus meos omniaque pia opera divino conspectui offer, atque effice, ut in gratia ex hac perveniam ad vitam aeternam. Amen.

Oratio Ecclesiae ad S. Angelos Custodes.

Deus, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris; largire supplicibus tuis, et eorum semper protectione defendi, et aeterna societate gaudere. Per Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit etc.

Hymnus ad S. Angelos.

Avete, mentes lucidae,
Nostrae salutis vindices,
Coelestis orae nuntii,
Regis superni milites.
Intra Tonantis Regiam
Choros agentes psallitis,
Lyris, melodiis, organis,
Tribunal ante Judicis.
Vos in dracones Tartari,
Bellum cietis perpetuum,
Et nos ab Orci faucibus
Manu potenti tollitis.
Adeste coetus candidi,
Adeste tot periculis:
Et nos volatu praepeti
Inferte coeli sedibus.
Summo Parenti coelitum.
Magnaeque Proli virginis,
Sancto simul Paracleto
Sit summa laus et gloria.

V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.
V. Dominus vobiscum!
R. Et cum spiritu tuo!

Oremus.

Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas: concede propitius, ut, a quibus Tibi ministrantibus in coelo semper assistitur,

ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

Festo S. Joannis Baptistae.

V. Ora pro nobis, S. Joannes Baptista!

R. Ut digni fiamus promissionibus Christi!

Oratio.

Joannes, beatissime praecursor Christi, praeco Judicis, amicus sponsi, vox verbi Divini, qui solatium nostrae Redemptionis annuntiare meruisti, impetra mihi misero apud eundem Dominum nostrum Jesum Christum tuis sanctissimis precibus, ut purgato a vitiis pectore et ornato virtutibus, parem, secundum salubria tua monita, viam Domini, et rectas faciam semitas ejus, quatenus in extremo judicio, cum aream Ecclesiae suae mundaverit, et triticum a paleis separaverit, merear inter grana tritici et electos suos inveniri, et in horreum coelestis mansionis cum eis reponi. Amen.

Hymnus ad Joannem Baptistam.

(Paulus Diaconus.)

Antra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens, petisti;
Ne levi posses maculare vitam
Crimine linguae.

Praebuit durum tegumen camelus
Artubus sacris, strophium bidentes:
Cui latex haustum, sociata pastum
Mella locustis.

Ceteri tantum cecinere Vatum,
Corde praesago, jubar affuturum;
Tu quidem mundi scelus auferentem
Judice prodis.

Non fuit vasti spatium per orbis
Sanctior quisquam genitus Joanne,
Qui nefas saecli meruit lavantem
Tingere lymphis.

Sit decus Patri, genitaeque Proli,
Et tibi, compar utriusque virtus,
Spiritus, semper Deus unus omni
Temporis aevo.

Amen.

Festo SS. Petri et Pauli.

Antiph. Petrus Apostolus, et Paulus, Doctor gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam, Domine.

V. Gregem tuum, Pastor aeterne, ne deseras.

R. Sed per beatos Apostolos tuos perpetua defensione custodias.

Oratio.

Deus, cujus dextera Beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit; et Coapostolum ejus Paulum, tertio naufragantem, de profundo

pelagi liberavit: exaudi nos propitius, et concede, ut amborum meritis aeternitatis gloriam consequamur.

Deus, qui multitudinem gentium Beati Pauli Apostoli praedicatione docuisti: da nobis, quaesumus, ut cujus commemorationem colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum.

Hymnus.

(Ex brev. Praemonstr.)

Aurea luce, et decore roseo,
Lux lucis, omne perfudisti seculum,
Decorans coelos inclyto martyrio,
Hac sacra die, quae dat reis veniam.

Janitor coeli, Doctor orbis pariter,
Judices secli, vera mundi lumina,
Per crucem alter, alter ense triumphans,
Vitae senatum laureati possident.

O felix Roma, quae tantorum Principum
Es purpurata pretioso sanguine:
Non laude tua, sed ipsorum meritis
Excellis omnem mundi pulchritudinem.

Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio,
In Unitate, cui manet imperium
Ex tunc, modo, per aeterna secula.

In commemoratione Omnium S. S. Apostolorum.

Antiph. Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël. Matth. 19.

V. Nimis honorati sunt amici tui Deus:

R. Nimis confortatus est principatus eorum. Psal. 138. 17.

Oratio.

Domine Jesu Christe! qui novam charitatis legem pectoribus nostris per beatos Apostolos tuos infudisti: horum nobis, quaesumus, intercessione concede, ut suave hoc novae legis tuae jugum prompta voluntate amplectamur, et opere perfecto expleamus. Qui vivis et regnas, etc.

Hymnus.

O Ordo Nuntiorum!
O clara lumina!
Et orbis, et polorum
Bis sena sidera.
Vobis ad astra clavis
Est certa tradita,
Ecclesiaeque navis
In orbe credita.
Quae sacra seminastis
Ubique semina,
Et voce praedicastis
Factisque dogmata:

Ah! impetrate lumen,
Ut corde compleam,
Ah! invocate Numen,
Factis ut exprimam.

Festo S. Joannis Evangelistae.

Antiph. Iste est Joannes, qui supra pectus Domini in coena recubuit; beatus Apostolus, cui revelata sunt secretá coelestia.

V. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his.

R. Et scimus, quia verum est testimonium ejus.

Oratio.

Ecclesiam tuam, Domine, benignus illustra: ut B. Joannis Apostoli tui et Evangelistae illuminata doctrinis ad dona perveniat sempiterna. Per Dominum nostrum etc.

Alia oratio.

(Ex S. Anselmo.)

O beatissime Joannes, Christi familiaris amice, qui ab eodem Domino nostro Jesu Christo electus es, et inter caeteros magis dilectus atque mysteriis coelestibus supra omnes imbutus, Apostolus ejus et Evangelista factus praeclarissimus, custosque matris ejus individuus; te invoco etiam cum Matre ejusdem Salvatoris, ut mihi opem tuam cum ipsa ferre digneris. Per Christum Dominum nostrum.

Hymnus.

Tu, quem prae reliquis Christus amaverat,
O dulces Hominis delicae Dei,
Curarum socius, funeris et comes,
Et testis quoque gloriae.

Fortunate nimis, cui licitum fuit,
Attrectare manu Verbum Hominem Deum,
Hunc audire, oculis cernere, mutuo
Quin et colloquio frui.

Haec dos quanta fuit, cum tibi credidit
Sensus Christus amans pectoris intimos,
Quando monte super totus Homo Deus
Sese numine vestiit!

Jesu dum placido tu recubas sinu,
Potas plena Deo vivida flumina;
Illapsu tacito se proprius tuis
Numen sensibus inserit.

Ex hoc fonte Deum plenius hauseras;
Corpus destituit mens velut ebria:
Dic, cum blanda quies lumina clauserit,
Quae coelestia videris.

O sacros aditus! o bene mutui
Hac ignota tenus gaudia pectoris!
Quae non tela jacit divus amor, sacris
His fornacibus incubans!

Hinc tu semper amans, semper amabilis:
Hinc et frontis honos, virgineus pudor;
Hinc coeleste jubar, quod superos decet,
Toto vertice funditur.

Hinc creber repetis, creber idem sonas;
Quidquid faris, amor, sic amor imperat:
Vix sese capiens aestuat, et suis
Pectus rumpitur ignibus.

Sit laus summa Patri, summaque Filio,
Sit par, sancte, tibi gloria, Spiritus!
Haec est vera fides, fontibus et tuis
Quam divinitus hausimus.

Festo S. Stephani.

Antiph. Stephanus autem, plenus gratia et fortitudine, faciebat signa magna in populo.

V. Sepelierunt Stephanum viri timorati.

R. Et fecerunt planctum magnum super eum.

Oratio.

Sancte protomartyr et dignissime Levita Christi, Stephane, qui primus Dominicae passionis vexilla tulisti, qui primus benedictionem leviticam plenitudine sancti Spiritus et Apostolica electione promeruisti; ad te confugio, te invoco, te suppliciter et enixe deprecor, ut intercedere digneris pro me nimis fragili et indigno ad Dominum Jesum Christum, quem, cum in agone esses, ad dexteram Patris stare conspiciens, pro ipsis etiam tuis lapidatoribus exorasti. Adjuva me, invictissime testis veritatis, ut semper Salvatoris mei nomen in opere et ore profitear, et concesso mihi per divinam misericordiam spatio, vitae anteactae sordes ita congrua emendatione diluam,

ut in articulo mortis ab auditione mala liberatus non timeam, sententiam perpetuae damnationis evadam, et tecum omnibusque Sanctis et electis perpetuo coronari merear. Amen.

Hymnus.

O qui tuo, dux Martyrum,
Praefers coronam nomine,
Non de caducis floribus
Tibi coronam nectimus.
Tuo cruenta sanguine
Quam saxa fulgent pulchrius!
Aptata sacro vertici
Non sic micarent sidera.
Quot facta fronti vulnera,
Tot tela lucis emicant,
Et angelo monstrat parem,
Quod prodit e vultu, jubar.
Tu prima Christo victimae
Vitam rependis victima,
Primusque testis aemulo
Deum fateris funere.
Tu primus ostensam tibi
Maris rubri sulcas viam;
Quot te sequentur Martyrum,
Quibus praeis, exercitus!
Qui natus es de Virgine,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna saecula.

Festo Innocentium Martyrum.

Antiph. Innocentes pro Christo infantes occisi sunt, ab iniquo Rege lactantes interfecti sunt: ipsum sequuntur Agnum sine macula, et dicunt semper: Gloria tibi, Domine.

V. Sub throno Dei omnes Sancti clamant.

R. Vindica sanguinem nostrum, Deus noster.

Oratio.

Deus, cujus hodierna die praeconium Innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt: omnia in nobis vitiorum mala mortifica; ut fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per Dominum nostrum, etc.

Hymnus.

Salvete flores Martyrum,
Quos lucis ipso in lumine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.

Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram sub ipsam simplices
Palma et coronis luditis.

Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna saecula.

Amen.

Ad SS. Tres Reges.

Antiphona. Magi videntes stellam dixerunt ad invicem: Hoc signum magni Regis est: eamus, et quaeramus eum, offeramus ei munera: aurum, thus et myrrham, alleluja.

V. Reges Tharsis et insulae munera offerent.

R. Reges Arabum et Saba dona adducent.

Oratio.

Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti: concede propitius; ut, qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuae celsitudinis perducamur. Per eundem Dominum.

Hymnus.

(Ex Brev. Colon.)

Jesu, vocator gentium,
Illuminator cordium,
Haec pro Magorum gloria
Clementer audi cantica.

Ducti superno lumine
Currunt Magi cum munere,
Et te reperto procidunt,
Laetique dona proferunt.

Quot dona, tot mysteria:
Per thus patet divinitas:
Auro potestas regia,
Myrrhaque mors ostenditur.

Dum sanctitati debitas
Magi coronas impetrant,
Terrae relinquunt corpora:
His dives est Colonia.
Horum rogatu, quaesumus,
Largire, Jesu, servulis,
Sequi vocantis gratiam,
Ut consequamur gloriam.
Deo Patri sit gloria,
Tibique Patris Unice,
Cum Spiritu paracleto
Nunc, et per omne saeculum.

Festo Joannis Nepomuceni.

Officium parvum.

Ad Matutinum.

V. Domine, labia mea aperies.
R. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
V. Deus in adjutorium meum intende.
R. Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto etc.
Alleluja, vel: Laus tibi Domine, Rex aeternae gloriae.

Hymnus.

Salve Sidus Bohemorum!
Tuae gemma Patriae,
Animaeque arcanorum
Custos integerrime,

Ut te digne invocare
  Lingua mea valeam,
Velis, oro, commodare
  Tuam labis nesciam.

Aequa Patri Filioque
  Laus et adoratio,
Procedenti ab utroque
  Compar sit laudatio.

V. Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me.

R. Ad defensionem meam conspice.

Oremus.

Deus, cui soli debetur omnis honor et gloria, per gloriosa merita S. Martyris tui Joannis Nepomuceni, te suppliciter exoro, ut omnem infamiam et confusionem publicam, undecunque mihi impedentem, misericorditer avertere digneris, et concede: sic uti honore temporali, ut aeternam confusionem evadere, et in coelesti gloria merear collocari. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui ab aeterna confusione, ignominiosa morte Crucis nos redemit, et nunc tecum vivit, et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

Ad Primam.

V. Deus in adjutorium meum intende etc.

Gloria Patri, et Filio etc. Alleluja, vel: Laus tibi Domine; Rex aeternae gloriae.

Hymnus.

Ut Praecursor Christi, natus
Thoro prodis sterili;
Et quod mundo sis donatus,
Debes Matri Virgini.

Indicavit tantam prolem
Jubar lucidissimum.
Da, virtutum luce probem
Me Mariae filium.

Aequa Patri, Filioque
Laus et odoratio,
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.

V. Ad te Domine levavi animam meam.
R. Deus meus in te confido, non erubescam.

Oremus.

Deus, cui soli debetur omnis honor et gloria etc. (ut supra.)

Ad Tertiam.

V. Deus in adjutorium meum intende etc.

Gloria Patri, et Filio etc. Alleluja, vel: Laus tibi Domine, Rex aeternae gloriae.

Hymnus.

O quam sancta Juventutis,
Prima erant studia:
Quam praeclara tum virtutis
Dabas jam praeludia!

Numini inauguratus.
Vix Sacerdos fueras,
Quantus zelus! qui conatus
Convertendi animas!
Aequa Patri, Filioque
Laus et adoratio,
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.

V. Custodi animam meam, et erue me.
R. Non erubescam, quoniam speravi in te.

Oremus.

Deus, cui soli debetur omnis honor, et gloria, etc. (ut supra.)

Ad Sextam.

V. Deus in adjutorium meum intende etc.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto etc. Alleluja, vel: Laus tibi Domine, Rex aeternae gloriae.

Hymnus.

Ut Joannes, totus Amor,
Totus eras gratia,
Ut Baptista, totus terror,
Detonans in scelera.
Poenitentes te colebant,
Ut Silentiarium,
Pauperes in te habebant
Eleemosynarium.
Aequa Patri, Filioque
Laus et adoratio,
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.

V. Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum.
R. Et ne confundas me ab exspectatione mea.

Oremus.

Deus, cui soli debetur omnis honor, et gloria, etc. (ut supra.)

Ad Nonam.

V. Deus in adjutorium meum intende etc.

Gloria Patri, et Filio etc. Alleluja, vel: Laus tibi Domine, Rex aeternae gloriae.

Hymnus.

Brevi sed persecutores
Sensit tanta Sanctitas;
Sensit Regios furores
Tua taciturnitas.
Da, Patrone peccatorum!
Pater poenitentium!
Ne me perdat delictorum
Noxium silentium.
Aequa Patri, Filioque
Laus et adoratio,
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.

V. In te Domine speravi, non confundar in aeternum.
R. In justitia tua libera me.

Oremus.

Deus, cui soli debetur omnis honor et gloria, etc. (ut supra.)

Ad Vesperas.

V. Deus in adjutorium meum intende etc.

Gloria Patri, et Filio etc. Alleluja, vel: Laus tibi Domine, Rex aeternae gloriae.

Hymnus.

Cum Baptista moriendo
Vitam das, et Sanguinem.
Hunc loquendo, te silendo
Lingua fecit Martyrem.
Hic Herodem, tu tyrannum
Wenceslaum senseras;
Sed furorem tam insanum
Vicit major Sanctitas.
Aequa Patri, Filioque
Laus et adoratio,
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.

V. Intende animae meae, et libera eam.
R. Propter inimicos meos eripe me.

Oremus.

Deus, cui soli debetur omnis honor, et gloria, per gloriosa merita S. Martyris tui Joannis Nepomuceni te suppliciter exoro, ut omnem infamiam et confusionem publicam, undecunque mihi impendentem, misericorditer avertere digneris, et concede: sic uti honore temporali, ut aeternam confusionem evadere, et in coelesti gloria merear collocari. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui ab aeterna confusione, ignominiosa morte Crucis, nos rede-

mit, et nunc tecum vivit, et regnat Deus in saecula saeculorum, Amen.

Ad Completorium.

V. Converte nos, Deus salutaris noster.
R. Et averte iram tuam a nobis.
V. Deus in adjutorium meum intende etc.

Gloria Patri, et Filio etc. Alleluja, vel: Laus tibi Domine, Rex aeternae gloriae.

Hymnus.

Frustra undis tumulavit
Tuam Rex memoriam,
Coelum stellis indicavit
Tam illustrem gloriam.
Nunc Patronus alienae
Famae potens coleris;
Lingua, quam id praestes bene,
Incorrupta loqueris.
Aequa Patri, Filioque
Laus et adoratio,
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.

V. Domine non confundar.
R. Quoniam invocavi te.

Oremus.

Deus, cui soli debetur omnis honor, et gloria, per gloriosa merita S. Martyris tui Joannis Nepomuceni te suppliciter exoro, ut omnem infamiam, et confusionem publicam, undecunque mihi impendentem:

misericorditer avertere digneris, et concede: sic tui honore temporali, ut aeternam confusionem evadere, et in coelesti gloria merear collocari. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui ab aeterna confusione, ignominiosa morte Crucis, nos redemit, et nunc tecum vivit, et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

Commendatio.

Suscipe, quas dedimus,
Joannes Beate,
Tibi preces supplices, noster Advocate:
Fieri, dum vivimus, ne sinas infames,
Et nostros post obitum
Coelo infer manes.

Litania.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum
S. Joannes Nepomucene,
In coeli splendoribus mundo nate,
} Ora pro nobis!

Sterilium parentum precibus impetrate,
Vir, Dei amore plenissime,
Mariae amator castissime,
Vir Apostolice,
Tuba legis Evangelicae,
Orator zelosissime,
Poenitentiae minister optime,
Sigilli Sacramentalis Custos integerrime,
Eleemosynarie liberalissime,
Decus Sacerdotii,
Speculum Cleri saecularis,
Contemtor mundani honoris,
Exemplar omnis sanctitatis,
Refugium pauperum,
Salus aegrotantium,
Clypeus in te sperantium,
Dux et Magister errantium,
Solamen rite confitentium,
Pater orphanorum,
Consolator afflictorum,
Portus naufragorum,
Defensor causarum justarum,
Lenimen injuriarum,
Fidelis clientum tuorum Advocate,
Lumen Pragensis Ecclesiae,
Inter blanditias invictissime,
Inter minas fortissime,
In tormentis patientissime,
Ad mortem usque constantissime,
In morte coelitus illustrate,
Post mortem innumeris miraculis decorate,

Ora pro nobis!

Incorruptae linguae prodigio honorate,
Patrone singularis fama periclitantium,
Auxiliator omnium ad te confugientium,
Martyr Dei inclyte,
Digne Sodalis Patriarcharum,
Consors Prophetarum,
Aemulator Apostolorum,
Frater sanctorum Martyrum,
Gloria confessorum,
Imitator Virginum,
} Ora pro nobis!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, etc. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, etc. Miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster. Ave Maria.

V. Ora pro nobis, Beate Joannes Nepomucene,
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Orationes.

1. Impetra mihi, o S. Joannes! ut numquam me pudeat, legitimo Dei, sacerdoti delicta mea humiliter et integre confiteri, ne quando in extremo Dei judicio coram angelis et hominibus confundar, sed cum vere poenitentibus a Christo, justo judice, ad sempiternam gloriam evocari merear. Amen.

2. Deus cordis mei! sine cujus nutu ne capillus quidem de capite nostro perit: Te per gloriosa merita fidelis tui servi Joannis Nepomuceni (qui de ponte Pragensi in Moldavam dejici et mergi maluit, quam sacrosanctum Confessionis Sigillum regi revelare) suppliciter oro, ut in hoc tibi noto honoris mei manifesto periculo, mihi pro benignitate tua subvenire, meque ab omni confusione ac infamia eruere digneris, ne gaudeant super me inimici mei: sic per preces Sancti Joannis Nepomuceni spero, sic in tua misericordia confido, Deus, qui es benedictus in saecula. Amen.

Commendatio.

O Sancte Joannes Nepomucene! Patrone mi! veneror te in gloria coelesti aurea corona immortalitatis amictum, et inter filios Dei computatum; simul ad te confugio, orans suppliciter, ut me tibi a divina bonitate commissum, hodie, et tota vita mea, tuo patrocinio protegas, et a mundi infamia (nisi aliter divinae Majestati placet) custodias. Amen.

Festo S. Ignatii, Fundatoris Societatis Jesu.

Antiph. Ego Dominus vocavi te in justitia, et apprehendi manum tuam, et servavi te, et dedi te in foedus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos caecorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentem in tenebris.

V. Ora pro nobis S. Pater Ignati.
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

Deus, qui ad majorem Nominis tui gloriam propagandam, novo per beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti: concede, ut ejus auxilio et imitatione certantes in terris, coronati cum ipso mereamur in coelis. Per Dominum.

Hymnus.

Cum mundus in caligine reatuum jaceret,
Et haeresum fuligine suffusus indoleret:
Rerum supremus arbiter misertus ingementis,
Movit viri cor, gnaviter incommodo medentis;
Fuit hic vir Ignatius missus, medela morbis,
Virtute cujus laetius late vireret orbis.

Litania.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de Coelis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Sancte Pater Ignati,

} Ora pro nobis!

Ignis, a Deo orbi illate,
Fundator Societatis Jesu,
Cultor admirande S. S. Trinitatis,
Jesu et Mariae delicium,
Sectator Apostolorum,
Aemulator Martyrum,
Cognitor coelestium arcanorum,
Zelator animarum,
Vas electionis portans nomen Jesu,
Lumen totius orbis,
Exemplar perfectionis,
Exstirpator vitiorum,
Contemptor mundi et vanitatum ejus,
Zelotes majoris Dei gloriae,
Lucerna charitatis ardens et lucens,
Abysse humilitatis,
Lilium castitatis,
Prodigium obedientiae,
Norma patientiae,
Idea mortificationis,
Regula devotionis,
Imago abstinentiae,
Sidus constantiae,
Speculum modestiae,
Conciliator dissidentium,
Magister ignorantium,
Restaurator pietatis,
Pacis et sanctimoniae templum,
Conviva mensae Christi,
Sacrarium sanctissimae Eucharistiae,
Antesignane militiae Jesu,

} Ora pro nobis!

Eversor Idolorum,
Dux Poenitentium,
Pharos naufragantium peccatorum,
Piscator infidelium,
Venator ferarum mentium,
Discretor spirituum,
Amator Crucis Christi,
Ocelle Religiosorum,
Sanitas infirmorum,
Solatium afflictorum,
Asylum pauperum,
Nutritie orphanorum,
Doctor parvulorum,
Pater studiosae juventutis,
Novum militantis Ecclesiae subsidium,
Propugnaculum Fidei Catholicae,
Terror daemonum,
Patrone te colentium,
S.[s] Pater Ignati,
Ora pro nobis!

Agnus Dei, qui tollis peccata etc,
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster etc.

V. Ora pro nobis S. P. Ignati.
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

O Gloriose S. Pater Ignati! qui ardentissimo erga divinam Majestatem amore, et ferventissimo

animarum zelo mirabiliter a Deo dotatus fuisti: te hodie, pedibus tuis advolutus, humiliter deprecor, ut specialem curam gerere digneris omnium mearum necessitatum, mihique a Deo (cujus nunc beato aspectu frueris in coelo) impetrare gratiam, me ipsum intime cognoscendi, de peccatis meis vehementer dolendi, Deo ex toto corde serviendi, meque penitus a rebus terrenis abstrahendi, et adhaerendi coelestibus per continuum solidarum virtutum studium, ita, ut tuis insistendo vestigiis, divina misericordia per tuam efficacissimam intercessionem adjutus, in gratia finali moriar, dignusque efficiar, qui tecum videam, amem, et glorificem Deum meum in aeternum. Amen.

Festo S. Francisci Xaverii, Indiarum Apostoli.

Antiph. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae. Isa. 49.

V. Ora pro nobis, S. Francisce Xaveri.

R. Ut digni etc.

Oratio.

Deus, qui Indiarum gentes Beati Francisci praedicatione et miraculis Ecclesiae tuae aggregare voluisti: concede propitius, ut cujus gloriosa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum nostrum, etc.

Hymnus.

(Ex brev. Gallic.)

Nunc decet festo celebrare cantu
Gesta Francisci meritasque palmas,
Quaeque praeclarae retulit beata
Praemia vitae.

Intus ut sensit Dominum vocantem,
Mille per syrtes scopulosque mille
Currit ad vastas Orientis oras,
Currit ad Indos.

Gentium in lucem datus et salutem
Hic ubi primos jaculatur ignes,
Monstra confestim fugiunt et atra
Noctis imago.

Summa laus Patri, genitoque Verbo,
Et tibi, compar utriusque Flamen:
Da, tibi puris placeamus omnes
Moribus uni.

Litania.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, Miserere nobis.
Fili, redemptor mundi, Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, Miserere nobis.

Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
S. Pater Ignati,
S. Francisce Xaveri, dignissime et dilectissime Fili S. P. Ignatii,
S. Francisce Xaveri, Indiarum Apostole,
S. Francisce Xaveri evangelizans pacem,
S. Francisce Xaveri evangelizans bona,
Vas electionis, portans nomen Jesu coram gentibus,
Vas redundans divinae charitatis,
Firmamentum Orientis Ecclesiae,
Propugnator Fidei,
Impugnator infidelitatis,
Praedicator evangelicae veritatis,
Idolorum destructor,
Electum a Patre aeterno Instrumentum propagandae divinae gloriae,
Fidelis imitator et socie Jesu Christi, Filii Dei,
Tuba resonans Sancti Spiritus,
Columna Templi Dei,
Lux paganorum,
Magister credentium,
Speculum verae pietatis,
Dux in via virtutum, et Christianae perfectionis,
Exemplar Apostolici Spiritus, et sanctitatis,
Lumen caecorum,
Pes claudorum,

Ora pro nobis!

Auxiliator naufragantium,
Salus aegrotorum,
Fugator daemonum,
Vita mortuorum,
Cujus potestati obediunt mare et tempestates,
Cujus imperia venerantur universa elementa,
Prodigiorum Thaumaturge,
Refugium miserorum,
Gaudium afflictorum,
Orientis splendor,
Pignus resurrectionis ad vitam gratiae et gloriae,
Tabernaculum incorruptionis,
Aerarium divini amoris,
Gloria Societatis Jesu,
Legate Apostolice Romanae Sedis,
Pauperrime Xaveri,
Castissime Xaveri,
Obedientissime Xaveri,
Humillime Xaveri,
Crucis Christi, ac laborum pro Christo cupidissime Xaveri,
In salutem proximi vigilantissime Xaveri,
Suavissime Xaveri,
Gloriosissime Xaveri,
Animarum, et Divini honoris Zelator ardentissime,
Patriarcha affectu et studio curandi populum Dei,
Propheta dono et spiritu,
Apostole dignitate et merito,

Ora pro nobis!

Doctor gentium potens in multifario sermone et opere, | Ora pro nobis!
Confessor virtute et vitae professione,
Virgo animo et corpore,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Ora pro nobis S. Francisce Xaveri.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui glorificantes te glorificas, et in sanctorum tuorum honoribus honoraris: concede propitius, ut qui beati Francisci Xaverii Confessoris tui gloriosa merita colimus, ejus pia patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum. —

Domine Jesu Christe, per illa quinque vulnera, quae tibi in cruce nostri amor inflixit; intercedente beato Francisco Xaverio, famulis tuis subveni, quos pretioso sanguine redemisti: Qui vivis et regnas etc.

Festo S. Francisci Borgiae.

Antiph. Taeduit me vitae meae, videntem mala universa esse sub sole, et cuncta vanitatem, et afflictionem spiritus.

V. Non aspiciam hominem ultra, et habitatorem quietis.

R. Haec requies mea in saeculum saeculi, quoniam elegi eam.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui B. Franciscum Borgiam spreta mundi vanitate ad societatem Filii tui vocare dignatus es: praesta, quaesumus; ut, quem eximiae sanctimoniae exemplar habuimus in terris, ejus coronae participes fieri mereamur in coelis. Per Christum Dominum.

Hymnus.

Illustre sidus Principum,
Francisce salve maxime;
Qui foetido cadavere
Viso horruisti saeculum.

Averte nostra lumina,
Ne vanitates hauriant,
Sed in supremam coelitum
Sint fixa sedem jugiter.

V. Ora pro nobis, sancte Francisce Borgia.
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

Domine Jesu Christe, verae humilitatis exemplar et praemium, quaesumus; ut, sicut B. Franciscum in terreni honoris contemptu imitatorem tui gloriosum effecisti, ita nos ejusdem imitationis et gloriae tribuas esse consortes. Qui vivis et regnas etc.

Festo S. Aloysii Gonzagae, Societatis Jesu.

Antiph. O gloriosissime Juvenis S. Aloysi, cujus patrocinio triumphant omnes Nationes, amictus stola alba sequeris Agnum, quocunque ierit.

V. Ora pro nobis, S. Aloysi.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Hymnus.

O flos amice Numini,
O gemma tuliparum!
Infense flos cupidini,
Splendor, decus rosarum!
O castitatis lilium
Gonzaga, digne coelo;
Da, da tuorum insignium
Nos aestuare zelo:
Da, da superna quaerere,
Ridere cuncta vana:
Terrena da contemnere,
Vitare da profana.

V. O quam pulcher es, dilecte mi Aloysi.
R. Nam macula nulla est in te.

Oratio.

O Beatissime Aloysi, sancte adolescens, o magne mundi victor, atque contemptor, quem purissimis, castitatis insignitum liliis, omnes homines laetabunda voce decantant, atque commendant: obsecro te toto cordis affectu, impetra mihi, quod potes, a Deo, purissimae castitatis et perfectae humilitatis sinceritate Jesu Christo, Domino meo, in sua sanctissima Societate deservire. Amen.

Litania.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, Miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria, Regina Angelorum, Ora pro nobis.
Sancta Maria, Regina Virginum,
Sancte Aloysi,
Sancte Aloysi, juvenis prudentissime,
S. Aloysi, juvenis angelice,
S. Aloysi, juvenis modestissime,
S. Aloysi, diligentissime imitator B.V. Mariae,
S. Aloysi, amator pauperum,
S. Aloysi, contemptor mundi,
} Ora pro nobis!

S. Aloysi, tui corporis osor,
S. Aloysi inter voluptates castissime,
S. Aloysi inter honores humillime,
S. Aloysi sine distractionibus orans,
S. Aloysi semper florens in gratia,
S. Aloysi semper crescens in virtute,
S. Aloysi semper ardens charitate,
S. Aloysi, custos tuorum sensuum,
S. Aloysi, venerator vulnerum Christi,
S. Aloysi a turpibus cogitationibus semper liber,
S. Aloysi a stimulis carnis semper immunis,
S. Aloysi, verus pugil Christi,
S. Aloysi, dux viatorum,
S. Aloysi, consiliarie dubitantium,
S. Aloysi, conciliator pacis inter inimicos,
S. Aloysi, defensor pugnantium,
S. Aloysi, terror daemonum,
S. Aloysi, salus infirmorum,
S. Aloysi, lumen coecorum,
S. Aloysi, pes claudorum,
S. Aloysi, leprosorum mundator,
S. Aloysi, mortuorum suscitator,
S. Aloysi, gloria principum,
S. Aloysi, religiosorum speculum,
S. Aloysi, juventutis exemplar.
S. Aloysi, idea perfectionis,
S. Aloysi, decus societatis Jesu,
S. Aloysi, defensor innocentiae,

} Ora pro nobis!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Pater noster etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem.
R. Sed libera nos a malo.
V. Iste est beatus, qui contempsit vitam mundi.
R. Et pervenit ad regna coelestia.
V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Deus, qui B. Aloysium per totum vitae tempus ab omnium turpium cogitationum et mortiferae culpae macula liberasti, ut perfecto tibi amore deserviret: quaesumus, ut nos similes ei facias munere et amore. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Innocentissime Aloysi! ego indignissimus famulus ac cliens tuus totam corporis et animae meae puritatem omniaque vitae negotia specialiter tibi commendo. Rogo te per angelicam puritatem tuam, ut me Jesu Christo Agno immaculato, ejusdemque Matri Virgini commendare digneris, et ab omni graviore peccato custodire. Ne permittas, me ulla unquam impuritatis labe foedari; sed quam primum tentatione et peccandi periculo constitutum me videris, abige procul a corde meo cogitationes et affectus omnes immundos, et injecta memoria aeternita-

tis et Christi crucifixi, imprime mihi medullitus sensum timoris Domini, et divini in me ignem amoris accende. Amen.

Festo S. Caroli Borromaei.

V. Ora pro nobis, S. Carole Borromaee!
R. Ut digni fiamus promissionibus Christi.

Oratio.

Ecclesiam tuam, Domine, sancti Caroli, Confessoris tui atque Pontificis, continua protectione custodi: ut sicut illum Pastoralis sollicitudo gloriosum reddidit, ita nos ejus intercessio in tuo semper faciat amore ferventes. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, Amen.

Hymnus.

Christe, decreto Patris institutus
Pontifex summo, tibi qui fideles,
Quos legis, formas populis regendis
Ipse ministros:

Hunc juvat festo celebrare cantu,
Qui licet magnis meritis abundans,
Flens et invitus, duce te, tremendum
Sumsit honorem.

Noverat, quantis pateat periclis
Ille, qui summos apices adeptus
Omnium curas, sibi raptus uni,
Sustinet omnes.

Fecerat fervens amor inquietum:
Quo gregis cari pia cura poscit,
Advolat promtus: mora non euntem
Ulla retardat.
Dux iter, vita praeeunte, monstrat;
Comprobat factis sua dicta magnis;
Et domum sanctam benevolente Christi
Replet odore.
Lux erat caeco, columen labanti,
Una spes lapso, misero lavamen,
Providus cunctis pater, omnibuspue
Omnia factus.
Christe, pastorum bonus ipse pastor,
Qui greges pascis proprio cruore,
Fac, ut aeternae subeant opima
Pascua vitae.

Festo S. Antonii de Padua.

Responsorium ad Antonium de Padua Bonaventurae.

Si quaeris miracula: Mors, error, calamitas, daemon, lepra fugiunt, aegri surgunt sani.

Pereunt pericula, cessat et necessitas, narrent hi, qui sentiunt, dicant Paduani.

Cedunt mare, vincula; membra, resque perditas petunt et accipiunt juvenes et cani.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, sicut erat in principio, et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Cedunt mare, vincula; membra, resque perditas petunt, et accipiunt juvenes et cani.

V. Ora pro nobis, beate Antoni!

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi!

Oratio.

Ecclesiam tuam, Deus, beati Antonii Confessoris tui deprecatio votiva laetificet: ut spiritualibus semper muniatur auxiliis, et gaudiis perfrui mereatur aeternis.

Interveniat, quaesumus, Domine, apud te pro nobis intercedendo sanctus et gloriosus tuus Confessor Antonius, quem innumeris maximorum miraculorum donis et gloria sublimasti. Per Dominum nostrum. Amen.

Hymnus.

(Ex brev. Ord. S. Francisci.)

En gratulemur hodie
Christo Regi jucundius,
In cujus aula gloriae
Jam jubilat Antonius.

Francisci Patris aemulus,
Sic illi se contemperat,
Ut, fonte manans rivulus,
Aquas vitae circumferat.

Longe lateque diffluit,
Sitique mortis aridos
Verbo salutis imbuit,
Dans rore sacro vividos.

Hic, stigmatum qui bajulo
Patri natus innititur,
Dum praedicat de titulo,
Confixus ille cernitur.

Sub tanto duce militans,
Vincendo se, non vincitur,
Duci miles cohabitans,
Jam bello non concutitur.

Nos in campo certaminis,
Patrum zelantes gloriam,
Hic sub re nostri nominis
Vincamus ignominiam.

Praestet hoc Nati Genitor,
Hoc Genitoris Genitus,
Ac par utrique conditor
Paraclitus hoc Spiritus.

Festo S. Alphonsi Liguori.

Litania.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, } Miserere nobis!
Fili, redemptor Mundi Deus, } Miserere nobis!
Spiritus, Sancte Deus, } Miserere nobis!
Sancta Trinitas, unus Deus, } Miserere nobis!

Sancta Maria, sine macula concepta,
Sancte Alphonse Maria,
Sancte Alphonse, exemplum pietatis,
Sancte Alphonse, speculum castitatis,
Sancte Alphonse, lilium innocentiae,
Sancte Alphonse, generose contemptor mundi,
Sancte Alphonse, doctor patientiae in adversitatibus,
Sancte Alphonse, exemplum mansuetudinis et humilitatis,
Sancte Alphonse, pater pauperum et desertorum,
Sancte Alphonse, medice aegrotorum,
Sancte Alphonse, speculum omnium virtutum,
Sancte Alphonse, infatigate zelator salutis animarum,
Sancte Alphonse, intrepide oppugnator erroris,
Sancte Alphonse, constans defensor disciplinae,
Sancte Alphonse, ardens evangelista verbi Dei,
Sancte Alphonse, illuminate dux in via salutis,
Sancte Alphonse, fidelis in obedientia erga summum pontificem,
Sancte Alphonse, novum decus ordinis sacerdotalis,
Sancte Alphonse, vigilans pastor tibi crediti gregis,
Sancte Alphonse, honor sacerdotum et episcoporum,

} Ora pro nobis!

Sancte Alphonse, ardentissime adorator sanctissimi Sacramenti,
Sancte Alphonse, flagrans Seraph in sacrificio sanctae missae,
Sancte Alphonse, fidelis servus beatissimae V. Mariae,
Sancte Alphonse, Angele vita et moribus,
Sancte Alphonse, Propheta miraculis et prophetiis,
Sancte Alphonse, Apostole fructiferis laboribus,
Sancte Alphonse, Martyr eximia asperitate vitae,
Sancte Alphonse, confessor sacris operibus,
Sancte Alphonse, Virgo corpore et anima,
Sancte Alphonse, fundator congregationis SS. Redemptoris,
Sancte Alphonse, exemplar missionariorum,
Sancte Alphonse, amantissime pater et custos,
Ut sacra fides semper pura nobis maneat,
Ut nostra in Deum fides semper crescat,
Ut igne divini amoris incendamur,
Ut augeatur in nobis pietas erga sanctissimum sacramentum,
Ut veneratio beatissimae virginis semper fervescat,
Ut peccata nostra vere defleamus,
Ut omnem vanitatem mundi deponamus,
Ut in sempiterna pace et concordia vivamus,
Ut omnes magistratus nostram salutem juvent,
Ut exempla tua virtutum fideliter imitemur,

} Ora pro nobis!

Ut intercessione tua in omnibus necessitatibus auxilium inveniamus,
Ut tua protectione semper digniores fiamus,
Ut felicem mortem assequamur,
Ut omnium harum gratiarum in vita et morte participes fiamus,

} Ora pro nobis!

Sancte Alphonse! ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccta mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nostri Domine.

Christe audi nos, Christe exaudi nos.

Ora pro nobis sancte Alphonse,

Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui per beatum Alphonsum Mariam, confessorem tuum atque pontificem, Zelo animarum succensum ecclesiam tuam nova prole fecundasti: quaesumus, ut ejusdem salutaribus monitis edocti et exemplis roborati ad te pervenire feliciter valeamus. Per Chr. D. N. Amen.

Precatio ad quemvis Apostolum.

(Canisius.)

Domine Deus, qui beatos Apostolos tuos inter et super omnes Sanctos in columnas primaque Ecclesiae tuae fundamenta mirabiliter elegisti, eosdemque

primo somnium sancti Evangelii praecones, in vastum terrarum orbem dimisisti, eorum Evangelicam doctrinam admirandis operibus, prodigiis et miraculis confirmans ac stabiliens; qui adhuc nos gentes per eosdem ad cognitionem ac laudem Nominis tui etiam atque etiam requiris, allicis et invitas:

Oremus misericorditer, concedas, ut postquam nos super Apostolicae confessionis petram a te fundati, et in ejusdem Apostolicae fidei unitatem ad perpetuum obsequium ac laudem tuam vocati sumus et electi, ne erroribus aut tentationibus seducti abs Te ullo unquam tempore separemur.

Sine nos sancti N. omniumque duodecim Apostolorum intercessionis fieri participes, in verae fidei corroborationem, in vitae emendationem, et in fugam evitationemque omnis mali. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Hymnus.

Supreme, quales, arbiter,
Tibi ministros eligis,
Tuas opes qui vilibus
Vasis amas committere?

Haec nempe plena lumine
Tu vasa frangi praecipis:
Lux inde magna rumpitur,
Ceu nube scissa fulgura.

Totum per orbem nuntii,
Nubes velut, citi volant,
Verbo graves, verbo Deo,
Tonant, coruscant, perpluunt.

Christum sonant: versae ruunt
Arces superbae daemonum;
Circum tubis clangentibus
Sic versa quondam moenia.

Fac, Christe, coelestes tubae
Somno graves nos excitent:
Accensa de te lumina
Pellant tenebras mentium.

Uni sit et trino Deo
Suprema laus, summum decus,
De morte qui nos ad suae
Lumen vocavit gloriae.

Precatio ad quemvis Martyrem.

(Horae B. V. sec. usum Pr. D. Bened.)

Deus, qui beatum N. Martyrem tuum in tua fide et dilectione tam ardenter solidasti, ut nullis carnalibus blandimentis, nullis Tyrannorum minis, nullisque carnificum gladiis aut tormentis a tua poterit cultura revocari:

Da nobis miseris peccatoribus, dignis ejus meritis et intercessionibus, in tribulatione auxilium, in persecutione solatium, ut possimus contra omnes insidias Diabolicas viriliter dimicare, mundum et quae in eo sunt, despicere, neque ulla ejus adversa formidare, ut ea, quae te inspirante desideramus, valeamus obtinere. Per Dominum Nostrum Jesum Christum. Amen.

Hymnus.

Ex quo salus mortalium,
Fluxit sacer Dei cruor;
Homo redemptus aemulum
Deo litavit sanguinem.
Non jam crucis Christi pudet:
Quin surgit ingens gloria,
Deum fateri mortuum,
Pro mortuo mori Deo.
Hoc iste plenus spiritu
Ridet minas, ridet neces;
Tuaque fretus dextera,
Tibi, Redemptor, militat.
Parata spectans praemia,
Securus ad poenas volat;
Sic pugnat, ut speret mori,
Et morte mortem vincere.
Unus tot armatas manus
Stupente lassat judice;
Et tortus ipsis qui cadit
Tortoribus fit fortior.
Da, Christe, tanti militis
Aequare facta fortia:
Da sustinere pro tuo,
Quodcumque durum, nomine.
Aeterne tu Verbi Pater,
Aeterne Fili, par Patri,
Et par utrique Spiritus,
Tibi, Deus, sit gloria.

Precatio ad quemvis S. Confessorem.

(Canisius.)

Omnipotens, sempiterne Deus, qui dilectorum Sanctorum tuorum splendor es admirabilis, et praecipue beatos Episcopos, Pastores, Doctores et Confessores, quasi ardentes lucernas nobis in domo tua constituis, et per eorum doctrinam, monita, scripta, et testimonia peccatores a malo ad bonum revocas et reducis:

Oramus te supplices, ut peccatorum nostrorum vincula solvas, nec indignos intercessionis Sancti N. atque omnium Sanctorum Confessorum participes modo efficias, ut nos etiam peccata omittentes, et in fide ac caritate ambulantes bonis operibus eos sequamur, ut sic eorum consortio in aeterna illa beatitudine jucunde frui valeamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Hymnus.

Sancte, coelesti radians in aula,
Qui Stola victor decoraris alba,
Quas tuis pangunt meritis fideles
Accipe laudes.

Induens mentem galea salutis,
Spiritus vibrans gladium, fideque
Tutus ut scuto, superare nostri
Fortior hostes.

Te pii laudant populi, superbae
Nescium mentis, facilemque cunctis,
Et pati doctum, solitumque castos
Cingere lumbos.

Mortuus mundo, vigilem salutis
Dum geris curam, precibusque ferves,
Pandis ad primum veniente Christo
Ostia pulsum.

Gaudiis coenae frueris beatae:
Servus accumbis; Dominus ministrat;
Pro tuis ora famulis, ut ista
Sòrte beemur.

Sint Patri summae, genitoque Patris
Unico laudes: utriusque nexum,
Spiritum sanctum celebremus aequo
Semper honore.

Precatio ad quamvis S. Virginem.

(Pet. Canisius lib. Cath. prec.)

Deus, qui inter caetera potentiae tuae miracula etiam in sexu fragili victoriam Martyrii, aut immaculatae castitatis Virginibus, Viduis item matronis tribuis ac concedis:

Largire propitius, ut, qui inter alias Sanctas tuas Virgines aut Viduas, etiam beatae N. memoriam celebramus, ejus intercessione et exemplo, carnis illecebras, et mundi voluptates possimus contemnere, omniaque tum animae, tum corporis pericula,

in vera fide superare, et in tuo obsequio nos magis ac magis exercere, atque eo demum modo una cum ipsis spirituali illo solatio gaudioque coelesti perfrui valeamus. Per D. N. J. Chr. Amen.

Hymnus.

Vos o virginei cum citharis chori,
Agni deliciae, pars gregis optima,
Sponsum virgineo progenitum sinu
Puris tollite laudibus!

Haec est sacra dies, obvia qua suo
Cum plena rutilans lampade jungitur
Sponso, stansque throno proxima concinit
Virgo cantica Virgini.

Solo digna Deo conjuge respuit
Mortales thalamos: ut semel obligat
Sese fida suo, quem bene deperit,
Ultro se Deus obligat.

Purum ne maculent pectus imagines,
In se tota, sui corporis immemor,
Mens sese recipit; nil oculi vident,
Surdis nil sonat auribus.

Aegro vix sua sunt pabula corpori;
Ardet mille modis ante diem mori:
Quidquid mors rapiet, jam sibi praeripit;
Unus fit Deus omnia.

Fac, o Christe, tuae Virginis aemulos
Hac nos ire tibi, qua graditur via:
Qui gens sancta sumus, moribus integris
Fac soli tibi vivere.

Da te, summe Pater, tollere laudibus:
Da te, Christe, sequi, laurea Virginum:
Fac, incensa tui, Spiritus, ardeant
Flammis frigida pectora.

Precatio ad quemvis Sanctum.

Supplex te rogo et obtestor, o Sancte N. digneris ante conspectum Domini mei miserrimi peccatoris recordari, ut tuis meritis et deprecationibus ab omnibus tum corporis, tum animae malis defendar et conserver: et ut in omni virtute, actione salutari, et opere bono quam maxime proficiam et progrediar.

In hora vero mortis et exitus mei adversus inimicorum insidias velis mihi fideliter subvenire, et animam meam ob omni tribulatione liberatam ad coelestis Paradisi gaudia perducere digneris. Amen.

Horae Sacrae

vitae sacerdotalis.

Pars II.

(ad pag. 225.)

ORATIONES

pro diversis

Ecclesiae Ordinibus.

(ad pag. 227.)

Probatio ante ordines.

„Ponderandum valde est, juxta S. Gregorium, ad culmen regiminis qualiter quis veniat: atque ad hoc perveniens qualiter vivat, et bene vivens qualiter doceat.“ — Multi enim et inhabiles et indigni nimia simplicitate et imperitia, malitiave aut fraude, ad suscipiendum clericalem characterem sese ingerunt, nescientes, quid petant. Magna sublimitas magnam debet habere cautelam. Tanto foedior nostra appareret reprehensibilitas, quanto magis a cunctis conspici in honoris arce festinaremus. „Quis ex vobis, ait Christus, volens turrim aedificare, non prius sedens computat sumtus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum; ne posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo coepit aedificare et non potuit consummare? aut qui rex, iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin, adhuc illo longe agente, rogat ea, quae pacis sunt.“ — Si itaque ordinari desideras, tui ipsius periculum facias; vires tuas cum hoc, quod subiturus es, onere

metiaris, ut, si impar es, abstineas, et ad id cum metu, etiam cum te sufficere existimas, accedas. Non omnes capiunt hoc verbum, longam scilicet praemittendam probationem, cum tamen jam Apostolus ad Sacros Ordines neophytum (noviter in fide plantatum) venire prohibuerit, et scripserit: „Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.“ — Nullus propterea olim promovebatur ad quemlibet gradum ecclesiasticum, nisi diuturna conversatione inter Clericos fuisset comprobatus. Saulus quidem repente Paulus, repente vas electionis, repente Doctor est factus gentium. Haec mutatio dexterae Excelsi. Misericordiam consecutus est, quia ignorans, ipso teste, peccavit; non tam autem exemplum hoc est, quam miraculum. Ambrosius de tribunali ad Sacerdotium raptus, jam a puero puram in mundo duxit vitam; atque fuga et latebris, multisque dissimulationum modis declinare est conatus. — Qui minime literis operam dederit, praeceptor non potest esse literarum. Si ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris, indignum est pervenire, et notari ambitionis solent, quos probitatis documenta non adjuvant: quam diligens et prudens habenda erit dispensatio divinorum munerum et caelestium dignitatum! — Juxta S. Chrysostomum: „Perquam ineptum et absurdum est, si, cum emtitium servum introducimus in domum, non prius illi aliquid domesticae supellectilis tradimus, quam longo experimento sententiae suae atque voluntatis plurima indicia dederit, in Ecclesia Dei non eadem adhibeatur diligentia.“ — „Incidunt in ruinam, ait S. Hieronymus, qui in puncto horae, necdum discipuli, jam magistri fiunt.“ — „Et dicere pudet, et grave tacere est, inquit S. Gregorius M... Ducatum animarum impudenter assumunt, quibus via omnis ignota ductoris est, et quo vel ipsi gradiantur, ignari sunt.

Dum dux exercitus nonnisi labore et solicitudine expertus eligitur, quales animarum duces esse debeant, qui ad culmen immatura cupiunt festinatione conscendere?" — Quam singularis res foret Clericus, simul veluti satus et editus! Quale scandalum, heri, ut loquitur S. Gregorius Nazianzenus, sacrilegi, hodie sacerdotes, heri profani, hodie Sacrorum Antistites: veteres vitio, pietate rudes et recentes! Aut, ut S. Hieronymi verbis utar: „Heri Catechumenus, hodie Pontifex; heri in Amphitheatro, hodie in Ecclesia; vespere in Circo, mane in Altari!" — Sapientes ac Sancti non uno finguntur die, velut ex argilla. — Pulli avium, si ante pennarum perfectionem volare appetant, unde ire in alta cupiunt, inde in ima merguntur. Structuris recentibus necdum solidatis, si lignorum pondus superponitur, non habitaculum, sed ruina fabricatur. — Ut quis fiat Sacerdos, oportet, ut non solum Sacramento, sed et justitia induatur; ut sit probatus, non probandus. Qui aliter egerit, sacerdotium geret quidem nomine, laicus autem perseverabit in sermone et opere. — „Cum caput infirmum est, ac fumorum insultus morbificos impellere minime potens, dicit S. Chrysostomus, tum fit, ut ipsum etiam infirmius in dies reddatur, tum autem reliquum corpus secum perdat." Qui in plano stantes titubant, ne in praecipitio pedem figant.

Proba te igitur tempore ad hoc concesso, conscientiamque tuam, quantum potes, purga, sacramentali confessione totius vitae tuae, si ita Directori ejusdem visum fuerit, atque crebrius repetitis verae humilitatis et contritionis actibus, nec non salutaribus quibusdam poenitentiae exercitiis. Humilia te saepius coram Deo, et instar Miphiboseth, ad regium hospitium et epulum Davidis jamjam admittendi, exclama: „Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum, similem mei?" Frequenti ac ferventi

oratione postula ab eo, qui dat omnibus affluenter, ut digne Ordines suscipias.

Suspira cum Psalte regio: Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini; tibique diffidens, inclama: „Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo.“ — Dic denique cum eodem Psalmista: „Diligam te, Domine, fortitudo mea.“ — Sic effundens in te animam tuam transi in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.

Orationes post Ordines.

Oratio Tonsuristae.

Quid mihi ante omnia faciendum, mi Deus, quam me projicere ante Te, Tibique omni cum humilitate ardentique amore gratias agere! Gratia Tua ornatus nunc sum insigni Ordinis clericalis, Tonsura et Corona. —

Dignus quidem non sum; propitiare tamen peccatis meis, et secundum misericordiae tuae multitudinem fac etiam, ut deponam nunc omnes cogitationes terrenas erigamque mentem meam ad superna. Semper eis, quae externis apparent, interiora digne respondeant, ne quando cum hypocritis sit pars poenaque mea! — Ne praetermittatur dies ullus, quo non meminerim coronae spineae, quam gestabat Redemptor meus; quo non meminerim victoriae, quam passione morteque sua nobis paravit; nec minus, admonitum me esse ab eodem, ut viam Crucis conficiam, qua coronam victoriae aliquando adipiscar. Per Dominum N. J. Chr.

Amen.

Oratio Ostiarii.

Deus omnipotens Pater, suppliciter deprecor, ut me famulum Tuum, quem in officium Ostiariorum eligere dignatus es, benedicere digneris, ut in domo Tua fidelissima cura serviam diebus et noctibus; et, sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperio et claudo, sic etiam invisibilem Domum Tuam, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis meis claudam diabolo, et aperiam Tibi, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio Lectoris.

Deus, Pater omnipotens, qui me indignum famulm Tuum in ordinem Lectorum assumere dignatus es, suppliciter oro, ut benedictionem Tuam clementer super me effundas, ut distincte, quae in Ecclesia Tua legenda sunt, legam, et eadem operibus impleam; neve unquam desim officio huic, quod ostendisse existimatur ipse Dominus noster Jesus, quum in medio Seniorum librum Isaiae Prophetae aperiens, distincte legit verba illa: „Spiritus Domini super me .... ad evangelizandum pauperibus misit me." — Praecipue vero illa Sanctae Matris Ecclesiae admonitio maneat mihi alta mente reposta: „Quod ore legitis, corde credatis, atque opere com-

pleatis, quatenus auditores vestros verbo pariter et exemplo vestro docere possitis.“ Quod valeam per Dominum nostrum Jesum Christum, qui Tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio Exorcistae.

Omnipotens Deus Pater, suppliciter deprecor, ut me indignum famulum Tuum benedicere digneris in officium Exorcistarum, ut sim Spiritualis imperator ad abjiciendos daemones de corporibus obsessis cum omni nequitia eorum multiformi; ut probabilis sim medicus Ecclesiae Tuae, gratia curationum virtuteque coelesti confirmatus, neque solum illis aegrotantibus, sed etiam mihi, qui omnem immunditiam et nequitiam meam delere cupiam; per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

Oratio Acolythi.

Omnipotens, sempiterne Deus, fons lucis et origo bonitatis, qui per Jesum Christum, Filium Tuum, lumen verum, mundum illuminasti, ejusque passionis mysterio redemisti, benedicere dignare me famulum Tuum indignum, quem in officium Acolythorum vocasti: ut, lumen visibile manibus praeferens, lumen quoque spirituale moribus praebeam.

Non enim potero placere Christo, si lucem manibus praeferens, operibus tenebrarum inserviam, et per hoc aliis exempla perfidiae quasi statuam. Luceam, ut inquit Apostolus, in medio nationis pravae et perversae, sicut luminare in mundo, verbum vitae continens. Imitabor Christum, de quo scriptum est in Evangelio: „Erat lux vera." Sequar monita ejus, quum de se ipso dicat: „Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae." — Itaque deposco clementiam Tuam, ut mentem meam lumine scientiae illustres, et pietatis Tuae rore irriges, ut ita acceptum ministerium Te auxiliante peragam, qualiter ad aeternam remunerationem pervenire merear. Per eundem Christum, Dominum Nostrum. Amen.

Oratio Subdiaconi.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, benedicere dignare me indignum famulum Tuum, quem ad Subdiaconatus officium eligere dignatus es, ut in Sacrario Tuo sancto strenuus sollicitusque sim coelestis militiae excubitor, sanctisque altaribus Tuis fideliter subministrem, et requiescat super me, o gratiarum largitor, Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis, et repleas me Spiritu timoris Tui, ut in ministerio divino confirmatus, ut obediens, facto et dicto parens, Tuam gratiam consequar. Vides enim,

quam necessaria mihi sit haec gratia Tua, ut talis sim, qui sacrificiis divinis et Ecclesiae Dei, hoc est, Corpori Christi, digne servire valeam, servire in omni dignitate et reverentia, in omni abstinentia et castitate, sicut docent praecepta et exempla S. Pauli, S. Joannis Ev., fideliumque primaevae Ecclesiae innumerorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen. —

Oratio Diaconi.

Domine sancte, Pater fidei, spei et gratiae, et profectuum remunerator, qui in coelestibus et terrenis, Angelorum ministeriis ubique dispositis per omnia elementa voluntatis Tuae diffundis effectum, me quoque, famulum Tuum, spirituali dignare illustrare affectu; ut Tuis obsequiis expeditus, sanctis altaribus Tuis minister purus accrescam - secundum Ecclesiae praescriptum: „Estote nitidi, mundi, puri casti, sicut decet ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei," — et indulgentia Tua purior, eorum gradu, quos Apostoli Tui in septenarium numerum beato Stephano duce ac praevio, Spiritu Sancto auctore elegerunt, dignus existam, et virtutibus universis, quibus Tibi serviri oportet, instructus, Tibi complaceam. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum. Amen.

Oratio Neomystae.

Omnipotens et misericors Deus, qui me peccatorem ad officium sacerdotale elegisti, meque medium inter Te et populum Tuum fieri voluisti, ut offeram dona et sacrificia pro peccatis, et Tuam pro me et populo Tuo misericordiam exorem: emunda, quaeso, per sanguinem Tuum, conscientiam meam ab operibus mortuis et sanctifica me in veritate Tua, ut tanquam bonus dispensator multiformis gratiae Tuae in membra Tua, Te clarificem super terram et opus fideliter consummem, quod dedisti mihi, ut faciam.

Domine Jesu, qui dixisti: „Qui manet in me, et Ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere," adjuva me auxilio gratiae Tuae, ut officium et ministerium sanctum ad Tui nominis laudem, meam et fidelium salutem implere valeam, Tibi placitum semper cogitem et intendam, aliis vita et exemplo praeluceam, non secundum carnem vivam, verum spiritu facta carnis mortificem, orationi ardenter vacare satagem, Tibi, Deo meo, vigilanter deserviam.

Summe sacerdos, et vere Pontifex, Jesu Christe, qui sanctificari eos jubes, qui ferunt vasa Domini; da, ut corde et corpore sim mundus et pudicus, mente humilis, conversatione sanctus, a turpis lucri cupiditate alienus, quatenus Tuis mysteriis digne ministrem, et sacramentalis panis sumptione dignior efficiar, ut in omnibus actionibus meis, verbis et

cogitationibus glorificeris. Qui vivis et regnas cum Deo Patre et Spiritu Sancto Deus, in saecula saeculorum. Amen.

Oratio Pastoris ac cujusque Curati.

Domine, Jesu Christe, qui ex zelo gloriae Patris et pro salute animarum de coelo descendisti, ut genus humanum velut ovem perditam quaereres, et in coelum deportares, cum propriae vitae tuae dispendio, an non par est, ut zelum tuum pro modulo meo aemuler! Quid enim tibi gratius potest accidere, quam ut animae, a te pretiosissimo Sanguine redemptae, ab exilio sempiterno liberentur? — Nonne grande vocationis meae beneficium et apostolici muneris dignitas zelum ejusmodi jure a me exigit? —

Domine Jesu! Zelator animarum ferventissime, qui pro nobis peccatoribus non dubitasti, manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum: fac me divitias, honores, voluptates, famam ac denique vitam ipsam gloriae Tuae et animarum saluti postponere, et eandem ardentissime pro viribus procurare. Utinam ad parochianos meos dicere possim, quae Apostolus ad Philippenses: „Testis est mihi Deus, quomodo omnes vos cupiam in visceribus Jesu Christi.“ Utinam in omni veritate cum Psalmista dicere possim: „Domine! Zelus domus Tuae comedit me.“— O Jesu! divinorum omnium divinissimum „cooperari

in salutem animarum“ etiam mihi peccatori mandasti: adjuva me miserum, ut zelator sim domus Tuae, ac vere pastor omnium, quos curae meae tradidisti. Gratia Tua me infirmum firmet, me tenebrosum illuminet, ut omnibus Pastoris beneficiis zelo fungar, ac cum omnibus meis parochianis vita feliciter peracta intrare possim in gaudia sempiterna. Amen.

Alia Oratio.

Omnipotens et misericors Deus, de cujus munere venit, ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter serviatur: largire mihi indigno famulo tuo, ut omnes cogitationes et affectiones meas in te dirigam: illumina cor meum Gratia Sancti Spiritus, intelligentiam, memoriam, et ignitum eloquium donando, ut omni repulsa negligentia, officium meum bene prosequi, fructum efficaciter consequi, in cunctis tibi placere, et per omnia te digne laudare merear, quatenus et auditores mei per me in via virtutum ita proficiant, ut ego cum illis, et ipsi mecum, destinata et exspectata laborum nostrorum aeterna praemia simul percipere mereamur.

Oratio Presbyteri.

Omnipotens, sempiterne Deus, omnium gratiarum largitor, qui me indignissimum famulum Tuum ad Presbyterii honorem dedicasti, infunde mihi bene-

dictionem plenam, ut gravitate actuum, et censura vivendi probatus, in lege Tua mediter die et nocte; ut, quod legi, credam; quod credo, doceam; quod doceo, imiter, justitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem caeterasque virtutes in me ostendam; ut exemplo meo aedificem, admonitione confirmem; ac purum et immaculatum ministerii Tui donum custodiam, et in obsequium plebis Tuae panem et vinum in corpus et sanguinem Filii Tui immaculata benedictione transformem: ut denique sim dignus Tuus sacerdos, ac digne perfungar hoc sublimi meo ministerio; sacerdos enim est Dei veluti familiaris, minister Christi, oraculum Spiritus Sancti; itaque monuit Pontifex: „Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei, sit odor vitae vestrae servanda morum integritate delectamentum Ecclesiae Christi!“ — Hanc in sententiam ut vivam, adsit mihi spiritus Dei, neve relinquat animam meam usque in diem justi et aeterni judicii, qua die conscientia pura, fide vera, Spiritu Sancto plenus resurgam. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

Oratio Catechistae.

O piissime Jesu, qui dixisti: „Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium enim est regnum Dei:“ omni caritate, humilitate et pietate me reple, ut intelligam, quam bonum et quam jucundum, quam necessarium et gloriosum sit, se

dare sanctae institutioni parvulorum. Ex infantibus enim bene enutritis et educatis fit populus fortis et honèstus: ex infantibus bene instructis et timoratis prodit societas fidelium, et populus Sanctorum. Sicut messis pendet a semine, ita sanctificatio hominum a primitiva institutione. Meum vero est, semen pietatis et sancti timoris mittere in corda puerorum, et illud frequentis rore exhortationis rigare; meum est, cordibus eorum, quae mollia sunt, sicut cera, imprimere sanctimoniae formam, quae et manebit Te adjuvante. Utinam me non pudeat, esse sicut parvulus in medio eorum, et quasi nutrix, quae fovet filios suos, cum te non puduerit, esse hominem inter homines, ut nos redimeres. Tu igitur, benignissime et misericordissime Deus, da mihi gratiam, ut parvulos omni amore et studio instituam, iisque te monstrem, qui es Via, Veritas et Vita.

Amen.

Oratio Concionatoris ambonem ascensuri.

Dicentem audire puto: „Vae tibi fili, si non evangelizaveris! Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera et peccata eorum. Voca eos ad poenitentiam, doce eos servare omnia, quaecunque mandavi eis. Si non annuntiaveris et pereant, sanguinem eorum de manu tua requiram; si annuntiaveris et non faciant, tu animam tuam liberasti. Audisti praeceptum, fili,

vae tibi, si non obediveris! poenas dabis in interitu aeternas, cum venero judicaturus." —

Audivi, o Domine, quale sit Ministerium mihi commissum, et perterreor. Nisi tu incrementum des, frustra plantabo ac rigabo. Rogo itaque in nomine Jesu filii tui, qui dixit: „Praedicate evangelium omni creaturae," ut in me mittas spiritum sapientiae. — Da mihi de doctrina tua, quod exponam in Ecclesia: non enim ex me annuntiabo, sed ex te. Imple ergo cor meum eloquiis tuis, ut ex abundantia cordis os loquatur. Ne vane mihi complaceam, si sermo bene procedit: ne nimium confundar, si non procedit. Nil valeo sine gratia tua; omnem ergo successum tibi tribuam, omnemque defectum cum humiliatione mihi imputabo. Non concidam animo, si exiguus fructus ex concionibus meis sequatur: curam enim a me exigis, non curationem. — Si per centum conciones unam tantum tibi animam lucravero, nonne multum esset? Tanti enim valet una anima, quanti sanguis tuus, quem pro ea effudisti. Laborabo indefessus, fructum ampliorem de bonitate tua semper exspectabo. Sic ascensurus sum ambonem rete laxans in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Oratio brevior.

Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mun-

dare, ut S. Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Respice quoque benignus in hos fideles auditores meos, et fac eos terram bonam et foecundam, ut sparsum verbi tui semen fructum in eâ faciat centesimum et tricesimum. Amen.

Oratio Concionatoris de ambone regressi.

Apostolum mihi videor audire dicentem. „Cum omnia impleveris, dic: Servus inutilis sum; quod debui facere, feci. Time, ne forte, cum aliis praedicaveris, ipse reprobus efficiaris. Multi enim venient, dicentes: „Domine, Domine nonne in nomine tuo praedicavimus, virtutes multas fecimus? Et confitebor illis: Quia nunquam novi vos. —

O quam multi concionatores apud inferos cruciabuntur, qui plus habuerunt copiae et leporis in dicendo, quam ego! — Ipsi tamen miserrime periere; cur ita? — Ob eam maxime causam, quia prae elatione et arrogantia insolentes, Divina bona Tibi non retulerunt accepta, sed vindicarunt sibi. Quocirca humanae avidos laudis, vanaque sui opinione inflatos, inanis gloriae cupidos, in locum, ad quem anhelabant, evexisti, unde in exitium ruerent sempiternum. Haec cogitans perterreor et de profundis clamo ad Te, Domine, ad Te, piissime Jesu:

„Miserere, mei, ne reprobus efficiar, cum aliis praedico, — Miserere mei secundam magnam misericordiam tuam.“

Ante administrationem S. Baptismatis.

Oratio.

Ecce omnipotens et misericors Pater, qui Filium Tuum, Dominum nostrum Jesum Christum misisti in mundum, ut omnes redimat et salvet, ecce nova progenies exspectat salubrem baptismatis fontem, et ego indignus famulus tuus vocatus sum, ut coelestes gratias super eam effundam. Da mihi igitur, o gratiarum largitor, ut hoc sacrum munus, qua par est devotione perficiam, tibique officium meum complaceat. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

Post administrationem S. Baptismatis.

Oratio.

Omnipotens et aeterne Deus, qui per sacrum baptismatis fontem hanc novam progeniem salvari et in filios Tuos adoptari voluisti, concede propitius, ut gratia Tua super infantem effusa requiescat in eo, ut crescat in oculis Tuis, et Tibi semper compla-

ceat et, si ex hac vita exierit, candidus sicut nunc coram Te appareat, et in aeternum Tecum gaudeat. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

Oratio Confessarii ante excipiendam confessionem.

Omnipotens et misericors Deus, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, ideoque sacerdotes instituisti, ut, sicut pastor bonus ovem in deserto errantem, ita peccatores in aestuoso mari naufragantes reducant: immitte propitius peccatori veram poenitentiam, mihi autem intellectum, quo bene discernam; prudentiam, qua bene judicem; amorem, quo animam capiam; lenitatem, qua vulnera sanem, ut sim Pater Filio Prodigo, Magister Nathanael, Judex Mulieri Adulterae, Medicus Vulnerato, Samaritanus misericors. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

Post Confessionem exceptam.

Benignissime Deus, respice propitius poenitentiam famulorum Tuorum et secundum magnam misericordiam Tuam dele iniquitatem eorum. Amplius lava eos a peccatis, neve sinas, ut iterum delictis suis Te, summum bonum, offendant. Respice etiam

in me miserum famulum Tuum, et quae ex imbecillitate aut ignorantia deliqui, misericorditer remitte, ne dum alios salvo, ipse confundar. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

Alia oratio.

Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, suscipe hoc obsequii mei ministerium in amore illo, quo B. Mariam Magdalenam, omnesque ad Te confugientes peccatores absolvisti; et quidquid in Sacramenti hujus administratione negligenter, minusque digne perfeci, Tu per Te supplere et satisfacere digneris. Omnes et singulos, qui mihi modo confessi sunt, commendo dulcissimo cordi Tuo, rogans, ut eosdem, ne denuo in peccata incidant, custodias, atque post hujus vitae miseriam Tecum ad gaudia perducas aeterna. Amen. —

Ante Visitationem aegrorum.

Oratio.

Dominus et Salvator noster, qui consolans et benefaciens mundum transiisti, et qui voluisti, ut cum laetantibus gaudeamus et cum afflictis contristemur, ecce ego famulum tuum aegrotantem et doloribus afflictum, praecepto tuo obediens, visitatum et consolatum aggredior. Ne respicias, misericors Deus, peccata mea, sed munus, quod subeo, et gratia tua largissima exornes me, ut aegrotus verbis

meis erectus in fide, spe et charitate firmetur, vel, si aberraverit per vitam suam, ad te reducatur tibique serviat: ut illi morbus ad salutem proveniat. Tu autem, Consolatrix afflictorum et Salus infirmorum, una cum sponso tuo, sancto Josepho, intercede pro me et misero famulo tuo; o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria!

Post Visitationem aegrorum.

Oratio.

Domine misericordiarum et omnium bonorum largitor, dignare propitius, ut famulus tuus, quem ego nunc reliqui, a te non relictus, sed interna tua consolatione, quae omnem humanam consolationem excedit, refectus sit. Remitte, quod ex tepiditate vel imbecillitate deliqui, et auge, quod bonum erat. Ne sinas, ut aegrotus in peccatis moriatur, sed da, ut convertatur et vivat. Da, ut in omnibus cum gaudio voluntatem tuam excipiat, sive vita, sive mors ei destinata sit. Tu autem, Domina, ne eum destituas cum auxilio tuo, dum eum videas inter beatos. Benedicta sint dulcia nomina: Jesus, Maria, Joseph!

Oratio ad cujusvis Sacramenti administrationem adhibenda.

Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui liquorem sacratissimi Sanguinis Jesu

Christi, unigeniti Filii Tui, ejusdemque pretiosissimam mortem ac merita universa in sanctissimis Sacramentis, velut in vasis aureis recondere, et mihi velut dispensatori tantorum mysteriorum concredere dignatus es: obsecro Te per eadem divina mysteria, ut non indignitatem et peccata mea respicias, sed fidem Ecclesiae Tuae, cujus indignus sum minister, ejusque amore me indignum facias dignum, ex peccatore justum et sanctum, ut munda munde et sancta sancte tractare, indeque fructum specialem mihi et aliis copiose possim obtinere; per ipsummet, qui sese ac gratiam suam nobis in hisce vasis tam liberaliter communicat, Jesum Christum, Filium Tuum, qui Tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Preces Sacerdotis speciales.

Preces quotidianae.

Exercitium matutinum.

Adhortatio

Christus ad Sacerdotem.

O fili! Si ego sum thesaurus tuus, in me sit primo diluculo cor tuum.

Oratio mane facta tenebras pellit et animam divino lumini aperit, primitias cogitationum et actionum diei consecrat mihi Supremo Domino, cui primum, et ante omnia, et super omnia, omnis creatura servire debet.

Audi, fili, audi ipsos gentiles; dicebant: Adveniente aurorâ cum Diis est versandum, a Jove principium. Ergone tu filius lucis eris minus sapiens filiis tenebrarum?

Vide solem: summo mane oritur, et enarrat gloriam meam. Nonne ergo inverecundum esset, si te otiosum in strato inveniret, et ipse sic in servitio meo te, diligentiâ suâ, praecederet?

O fili! Praeveni solem ad benedictionem tuam. Ante ipsius ortum debuit manna populo meo colligi: orto enim sole liquefiebat. Sic tardior oratio vix habet substantiam et efficaciam.

Hora igitur surgendi praecurre, et animum efferas ad superiora.

Mane pennae columbae liberiores sunt: melius volabis ad me.

Oculus matutinus serenior est: quod oculus per mundanorum conspectum jam obscuratus non apprehendit, ipse videt.

Auris matutina subtilior est: quod auris terreno tumultu jam gravata non capit, ipsa audit.

Cor matutinum purius est, flexibilius est: quod cor lutoso jam mundi pulvere respersum non gustat, ipsum sentit.

Ergo cor tuum tradé ad vigilandum diluculo ad me, qui feci te; et in conspectu magnitudinis meae mane deprecare: et ego spiritu intelligentiae replebo te; emittam eloquia sapientiae meae: in oratione confiteberis mihi; et ego dirigam consilium tuum.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

Venite adoremus et procidamus ad Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos: quia ipse est Dominus noster, nos autem populus ejus et oves pascuae ejus.

V. Mane oratio mea praeveniet te, Domine.

R. Mane exaudies vocem meam.

Oremus.

O aeterne Deus, laudo te, et gratias ex intimis cordis mei visceribus ago tibi, quia me creasti ad imaginem tuam; et pretioso Filii tui sanguine redemisti me: sed et praeter alia innumera beneficia, hucusque tam clementer conservasti me; et hac

nocte a periculis malisque me custodiens, ad hujus diei initium incolumem perduxisti. Quid retribuam tibi, Domine, pro his et aliis omnibus, quae dedisti mihi?

Oblatio sui ipsius.

Cuncta cedant ad majorem
Dei laudem et honorem,
Ad ipsius gloriam.
Soli Deo me sacrabo,
Mentem, corpus, vitam dabo.
Da, o Jesu! gratiam.

Domine Deus, Pater coeli et terrae, haec est mea voluntas pro hoc die et in aeternum, velle, quod te dignum est, quodque tuae in me gratiae vis atque meditatio excitat. Conserva Deus meus, quod operatus es in me. Tibi enim me ipsum et omnia mea opera, sensus, cogitationes dedico. Non mea unquam, sed tua sancta in me, per me et circa me fiat voluntas. Dominus es, quod placitum est in oculis tuis, facias: quidquid tu feceris, gratum mihi erit; quidquid tu jusseris, facile et jucundum exequi. Nosti, Domine, quia non alia de causa statum sacerdotalem elegi, nisi quod sciebam, ibi me intellecturum esse tuam sanctam voluntatem: obedientiam non violabo, quia haec est tua voluntas: securus sum de operibus meis, quae mandato Superiorum peraguntur; hanc virtutem, utpote aliarum omnium matrem, exercebo usque ad ultimum vitae halitum. Amen.

Petitio gratiae divinae.

Verum, o Domine, quid prodest nostrum velle, nisi tu tribuas et perficere? Frustra proponit homo, nisi, quem gratia tua disponit. Tu nosti fragilitatem meam, quia inops et miser ego sum, nec quidquam sine te facere possum, imo ne cogitare quidem: sed ex te uno est omnis sufficientia mea. Exurge itaque in adjutorium mihi, et efficaci tua gratia vires adde, ut quod volo bonum, feliciter perficere possim. Tu quoque, o sanctissima Dei mater, Virgo, et patrona mea singularis, curam clientis tui suscipe, et monstra, te esse matrem. Tuque, o Angele custos, qui jussu bonitatis divinae mei curam suscepisti: et vos, o S. S. Patroni mei N. N. mihi praecipue dilecti, hodie clientem vestrum fideliter dirigite. Vestris, quaeso, precibus et meritis apud Deum agite, ut ejus gratiae ductu sic vivam hodie, ut vobiscum vivam, gaudeam, Deumque laudem in aeternitate. Amen.

Pater. Ave. Credo.

Benedictiones matutinae pro singulis Hebdomadae diebus.

Pro die Dominica.

Domine, Pater coelestis, aeterne Deus, benedicta sit majestas et omnipotentia Tua divina; laudetur infinita bonitas et misericordia Tua; celebre-

tur sapientia Tua aeterna et veritas: quod me hac nocte manu Tua protexisti, et sub umbra alarum Tuarum secure quiescere et dormire dignatus es: tum etiam, quod contra hostem infensum et ab omnibus insidiis ejus me custodire et paterne defendere voluisti. Propterea laudo Te propter bonitatem Tuam, et propter mirabilia Tua, quae filiis hominum fecisti, et celebrabo nomen Tuum in Ecclesia: laus Tua semper in ore meo erit; benedicat anima mea Domino, et omnia interiora mea nomini sanctitatis ejus, neve unquam obliviscar beneficiorum Tuorum, quae mihi praestitisti.

Placeat ergo Tibi nunc hostia oris mei, quam Tibi mane in simplicitate cordis mei offero: ex intimo cordis affectu invoco Te, digneris me hac die ab omni periculo corporis et animae defendere, et Angelis Tuis de me mandare, ut custodiant me in omnibus viis meis.

Circumda me clypeo Tuo, et deduc me in semitam mandatorum Tuorum, ut innocens ambulem, Tibi serviens, tanquam filii lucis, secundum beneplacitum Tuum. Arce hostem malum, et omnia hujus mundi scandala repelle. Carnem quoque et sanguinem meum compesce, ne captus ipsorum malitia graviter contra Te delinquam, et Te peccatis meis offendam.

Rege me Spiritu Tuo Sancto, ut nihil aliud proponam, faciam, loquar, aut cogitem, quam quod Tibi placeat, et in honorem divinae Tuae Majestatis cedat.

Ecce, bone Deus, totum me Tibi et voluntati Tuae, corpore et anima, cunctis corporis et animae viribus, hodie offero et consecro. Effice, ut sim et maneam Tibi hostia viva, sancta et accepta; ut cultum rationalem et gratum Tibi praestare possim.

Itaque, Sancte Pater, omnipotens Deus, fac, ut sim tua sola possessio. Guberna cor, mentem et animum meum, ut nihil aliud, praeter Te, sciam et intelligam. Domine, mane audias vocem meam; mane praeparabo Tibi orationem et speculabor, mane laudabo Te, et vespere non desistam, per Jesum Christum, Filium Tuum, Dominum nostrum. Amen.

Feria secunda.

Laudo te, mi Pater coelestis, et exaltabo nomen tuum in seculum seculi: benedicam te in omni tempore: semper laus tua in ore meo: te laudabit anima mea, quod me gratia et misericordia tua magna, hac nocte ab omni malo ac periculo corporis et animae conservasti, et contra adversarium meum satanam paterne custodivisti. Nam si tu scutum et auxilium meum non fuisses, infinita mala me perdidissent, quo minus sanus resurrexissem.

Merito igitur tibi gratias ago, pro clementi tua protectione.

Porro ad te clamo ex intimo cordis mei adfectu, oratio mea mane praevenit te, mane quaero te, et obsecro, ut me et omnia, quae ad me pertinent, hodie ab insidiis et tyrannide diaboli, a peccatis,

infamia et omnibus malis defendere velis. Praeveni me hac matutina hora gratia tua, quandoquidem sine te nihil praestare possum.

Adjuva me, ut hodierno die omnia opera mea in nomine tuo religiose incipiam, et pie perficiam, in honorem majestatis tuae divinae, et ad utilitatem proximi, inprimis omnium, qui pascendi mihi traditi sunt. Custodi animam meam, intellectum, rationem, sensus et cogitationes meas, omnia demum opera mea, dicta et facta, ne scelestus ille diabolus mihi obesse valeat.

Aufer a me, quicquid tibi displicere, et mihi obesse poterit; tribue mihi, quod tibi acceptum, et mihi utile erit, ut tibi vera fide serviam. En, Deus fidelis, offero et dedico me tibi hodie totum, ut secundum voluntatem tuam vivam. Effice me tibi acceptam hostiam, ut acceptum sit tibi servitium meum in Jesu Christo Domino nostro. Amen.

Feria tertia.

Benedictus Deus, Creator coeli et terrae! Benedictus, qui facit mirabilia solus; et benedictum nomen gloriae ejus in seculum! qui diem et noctem sapientia sua divina creavit et divisit; adhaec constituit, ut donec terra erit, nox et dies non cessent, quo homini nocturno tempore quiescere, diurno autem laborare liceat.

Quam multiplicata et magnificata sunt opera tua, Domine? omnia ipsa in sapientia fecisti: impleta est

terra possessionibus tuis. Pro his beneficiis solem ad gratias tibi agendas praevenire oportet, atque te sub lucis ortum salutare: itaque te nunc quoque laudo, quod nocte me secure quiescere et dormire, et rursus laetum et sanum excitare, nec non contra omnem hostis potentiam ac malitiam paterne defendere volueris.

Obsecro te, ut animam meam in manus tuas includere, corpus meum, pro beneplacito tuo, sanum conservare, et me ab omnibus malis ac periculis custodire velis.

Excita mihi aurem ad audiendum corde credulo verbum tuum sanctissimum, quod et praedicandum mihi concessum, ut illud memoria firma retineam, et ut aurem meam ad clamorem et gemitus pauperum et afflictorum inclinem, ne eos in tribulatione deseram; et cum in die angustiae meae ad te clamavero, ausculta orationem meam, et gemitus meos in extrema necessitate noli despicere.

Mane praeveniat te oratio mea, inclina aurem tuam ad clamores meos. Satura nos mane misericordia tua, et exultabimus et laetabimur in te omnibus diebus nostris, per eundem Filium tuum dilectum Jesum Christum, Dominum nostrum, qui tecum et cum Spiritu S. vivit et regnat in saecula saeculorum.

Amen.

Feria quarta.

Omnipotens misericors Deus, cum tibi serviant omnia opera tua, et omnes creaturae sine intermissione te laudent ac celebrent, quod etiam aves

sub coelo praestant, quae mane exorto sole quam suavissime linguis et vocibus suis te aeternum Deum et Creatorem suum laudant: Et ego jam tibi ex intimo corde gratias ago, quod me praeterita nocte, et toto vitae meae tempore, sub protectione et tutela tua, in praesentem usque horam conservare, ex somno et tenebris hujus noctis excitare, atque hilarem et sanum resurgere voluisti.

Oro te per salutarem resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, ut in posterum quoque me conservare velis ab omni malo ac periculo, una cum omnibus iis, qui mihi cura pastorali, aut quaecunque ratione juncti sunt: praeterea matutina hac hora misericordia tua replere me digneris, ut cum gaudio hodiernum diem in mandatis tuis, absque omni peccato, transigam.

Exhibe mihi gratiam tuam, et sicut nubes aquosa sub aurora, et ros matutinus sese extendunt, et terram humectant: sic bonitatem tuam super me extendere et animum meum languidum reficere digneris, ut promtus et alacer voluntati tuae satisfaciam.

Guberna me Spiritu Sancto tuo, ut tibi puro corde inservire queam, cum justitia et sanctitate coram te cunctos dies vitae meae.

Custodi me Domine, ne hoc die aliquod peccatum contra te admittam. Concede mihi gratiam, obsecro, ut ego ipse defectus meos agnoscam et corrigam, ne in severam tuam sententiam et judicium horrendum incidam. Haec mihi largire, aeterne Deus per Jesum Christum Filium tuum dilectum. Amen.

Feria quinta.

O Domine Jesu Christe, qui es vera et aeterna lux, quae repellit noctis tenebras et umbram mortis, laudabo nomen tuum, tibi psalmum dicam et gratias agam, quod me hac nocte tam clementer protexisti, et ex tenebris ad lucem hanc deduxisti. Custodisti me a timore noctis, a terrore et angore cordis, et omnibus malis, quae mihi obvenire potuissent.

Scuto etiam tuo animam meam circumdedisti et protexisti, sicut pastor gregem suum protegit et pascit. Adhaec omnia, quaecunque possideo, illaesa conservata sunt per magnam misericordiam tuam.

Pro hac clementia et protectione, et omnibus beneficiis tuis, sit tibi laus, honor et gloria.

De fortitudine tua cantabo, et laudabo mane misericordiam tuam; tu enim refugium es et virtus mea, fortitudo mea, et fidelis Deus, in quo confido. Tu dedisti mihi laetitiam in corde meo, et laetificasti faciem meam.

Oro te per sanctam incarnationem et nativitatem tuam, ut sinas hoc die super me misericordiam tuam oriri, quae procedat tanquam aurora laetificans, et ad me veniat, tanquam pluvia matutina.

Illumina coecam meam naturam et cor obtenebratum splendore tuo, ut in corde meo exoriatur vera lux, quae homines illuminat ad vitam aeternam.

Protege me quoque hodie ab omni malo; miserere mei Deus, quia te exspecto. Esto brachium meum in matutinis, salus etiam mea in tempore angustiae.

Defende corpus et animam meam, ne accidat mihi malum aliquod, neve plaga mihi adpropinquet.

Omnes spiritus noxios a me procul repelle: fer mihi opem contra scelestos. Deus in adjutorium meum intende adversus maleficos, et ad auxilium meum festina: quia anima mea exspectat te a vigilia matutina usque ad noctem.

O Domine Deus noster, doce mandata tua observare, ne hodie contra te peccemus. Haec omnia nobis propter misericordiam tuam concede. Amen.

Feria sexta.

Benedictus sit Deus, creator meus, benedictus sit Deus, salutaris meus, benedictus sit Deus, summa consolatio mea; qui dat mihi sanitatem, vitam et prosperitatem; qui protector et auxiliator meus est; qui me in corpore et anima, secundum magnam et infinitam misericordiam suam, hac praeterita nocte, a variis incommodis defendit, et salvum ad hodiernum diem resurgere voluit.

Oro te, mi Pater coelestis, per sanguineum sudorem Filii tui dilecti Jesu Christi, digneris et me hodie in divinam protectionem tuam recipere, me tueri atque custodire, tam interne, quam externe, ne quid mali mihi eveniat. Quia in manus tuas hodie et omnibus diebus vitae meae commendo animam meam indigentem, corpus meum infirmum, sensus meos, mentem, intellectum et consilia mea; adhaec omnes cogitationes meas, verba et opera, dicta

et facta, introitum meum et exitum meum, me ambulantem et stantem, me sedentem et cubantem, meam voluntatem et consilia, meas imaginationes et postulationes, fidem et confessionem, et quicquid tam externis, quam internis viribus sum et valeo, finem vitae meae, diem et horam mortis, mortem et resurrectionem meam.

O Domine Deus, tu mecum agito, sicuti vis et nosti, quicquid in honorem nominis tui, et animae meae salutem ac omnium, quibus pastor praepositus sum, cedere poterit.

Et si forte contra te ex infirmitate peccaverim, obsecro te, ne recedat a me misericordia tua, neve gratia tua declinet a me, et ne subtrahas mihi auxilium tuum.

Nam praeter te non est Deus, neque Servator; ante te non est formatus alius, neque post te alius erit. Tu, inquam, primus et novissimus, et praeter te non est Deus. Itaque te solum invoco, praesto sit mihi bonitas tua.

Fac me audire mane misericordiam tuam, quia in te spero. Deduc pedes meos per semitas justitiae, ne ambulem in consilio impiorum, nec in via peccatorum stem, nec in cathedra derisorum sedeam: sed ut in verbo et lege tua totius cordis mei voluntas et beneplacitum sit, et in ea mediter die ac nocte, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum et cum Spiritu S. vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Sabbato.

Vere et immortalis Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, ad te elevo animum meum, debita gratiarum actione: tuam justitiam non abscondam in corde meo, veritatem et salutem tuam dicam. Non celabo misericordiam tuam et veritatem tuam in coetu multo, et omnia bona, quae fecisti mihi, non tacebo. Quoniam bonum est, te celebrare, et psallere nomini tuo, Altissime; annuntiare mane misericordiam tuam, et veritatem tuam in noctibus.

Propterea laudat te anima mea, quod hac nocte per superabundantem misericordiam tuam me protexisti. Benedictus es, Deus exercituum, qui clementem te praebes omnibus, qui quaerunt te, et salutem tuam diligunt.

Benedictum sit nomen tuum magnum in omni terra, quod protectio atque adjutorium nobis est. Benedicta sint omnia opera tua, quae filiis hominum praestitisti. Oro te, ut velis me hac die quoque conservare, ne aliquid damni mihi inferatur, neu manus impiorum mihi noceat.

Domine Deus, Salutare meum, mane te quaero, mane oratio mea praevenit te, da mihi, ut opera vocationis meae, et quidquid mihi demandatum est, diligenter et fideliter expediam, ad nominis tui laudem, et ad proximi emendationem, ne hujus diei luce ad peccandum abutar, neve te vel dictis, vel

factis offendam, et sancti Baptismatis mei foedus violem.

Concede quoque mihi gratiam, ut fugiam, quae tu odio habes et clementer largire, ut omnia mea opera et vita tibi placeant, in Jesu Christo, Filio tuo dilecto, Domino nostro, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti, in saecula saeculorum.

Amen.

Ante studia.

„Scientia sine pietate inflat; Pietas sine scientia aberrat; Scientia cum pietate aedificat."

S. Bern.

O Rector universae fabricae mundi Deus, qui omnia sapienter disponis, et gubernas cuncta suaviter, in quo omnes thesauri sapientiae et scientiae verae reconditi, a quo omnes Sapientes suam scientiam acceperunt: Provolutus pedibus tuis, ad Thronum tuae pietatis accedo, et te laudans Deus meus adoro, ut tenebras obtusi et tenebrosi ingenii mei lumine et splendore gratiae tuae coelestis illustrare digneris, quatenus scientia literarum imbutus te intelligam, tibique devotum exhibeam famulatum, ne tuis muneribus abutens ad superbiam vitae et seculi vanitatem, inde sumam pereundi materiam, unde debueram accipere salutis exordium. Qui vivis et regnas etc.

Post Studia.

Suscipe clementissime Deus, intervenientibus meritis unigeniti Filii tui, precibus et meritis B. Mariae semper Virginis, et omnium Sanctorum, officium servitutis nostrae, et si quid dignum laude egimus, propitius respice, et quod negligenter actum est, clementer ignosce. Per eundem Christum etc.

12*

Ante Missam.

Admonitio ad sacerdotes de ministerio sacrificii missae.

Cum multi sint sacerdotes, qui frequenter, multi etiam, qui quotidie celebrant: et nihilominus hujus vivifici ac Divini Sacramenti admirabiles fructus non percipiant, necessarium procul dubio est, tanti mali causas investigare. Unde enim in cura salutis tanta tepiditas, tanta in studio perfectionis negligentia; cum dicat Chrysostomus, oportere nos ab hac mensa recedere Daemonibus terribiles, et ignem omni ex parte spirantes? Si olim non potuit coram Arca Domini statua Dagon subsistere, sed statim corruit et contrita est: cur Christi praesentia amoris proprii tyrannice in anima dominantis Idolum non atterit et confringit? Cur tanta Christi dimissio superbiae spiritum non elidit? Cur tanta ejus mansuetudo iram non compescit? Cur tantus amor ad ejus sequenda vestigia non impellit? Effectus

Eucharistiae sunt: praeservare a peccatis, augere gratiam, terrenorum odium infundere, ad aeternorum amorem mentem elevare, illuminare intellectum, succendere affectum, conferre animae et corpori puritatem, conscientiae pacem et laetitiam, atque inseparabilem cum Deo unionem:

Plerique tamen post frequentem celebrationem his effectibus non fruuntur, ad quos nimirum spectat Aggaei Prophetae objurgatio dicentis: „Comedistis, et non estis satiati: bibistis, et non estis inebriati:" Defectus autem non in cibo et potu est, sed in prava edentis et bibentis dispositione. Et haec prima tanti mali causa est, quia illud comedimus, aliud esurimus: comedimus panem Angelorum, et immundorum animalium siliquas esurimus, deteriores Israëlitis, qui dum manna comederent in deserto, ad ollas Aegypti suspirabant. Quid igitur miramur, si fauces amaritudine infectae mellis dulcedinem non percipiunt? Altera causa est omissio necessariae praeparationis: plerique enim ad tantum ministerium accedere non verentur perfunctoriè, ex

consuetudine, ex motivo humano, lucri potius, quam devotionis causa, non considerantes, quanti oneris sit, vel semel celebrare.

Tertia demum causa est, quia multi Sacro peracto ad exteriora statim divertunt, nec sinunt, ut Sacramentum suam in eis virtutem exerceat. Isti revera gratiam Dei in vacuum recipiunt, nec de mensa coelesti fructum reportant: quia tantum Dominum ad se venientem indigne excipiunt nec reverenter gratias agunt; imo protinus ab eo recedunt, ipsumque contristant, majestatem ejus, et incomprehensibilem dignitatem parvi pendentes, nec advertentes, quanta sit foeditas, vilitas, et miseria ipsorum, ad quos venire dignatus est. Quod si adhibita omni dilgentia ad digne et devote celebrandum, contingat aliquem hujus convivii fructibus minime perfrui, admirabili sapientiae Dei adscribendum est, qui hoc permittit, ut suae industriae non tribuat homo hoc gratiae donum, sed cautè illud custodiat, et se illo semper indignum profiteatur.

Praeparatio ad Missam.

In Nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. — Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

(Tempore paschali additur Alleluja.)

Psalmus LXXXIII.

David exul domum Dei adire, sacrificiis interesse desiderans, justorum, ad regnum Dei anhelantium, fervens desiderium demonstrat.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atrio Domini. Cor meum et caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine, Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster, aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis: super millia.

Elegi, abjectus esse in domo Dei mei: magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri etc.

Psalmus LXXXIV.

Sub typo praevisae liberationis a captivitate babylonica, vera a peccati et diaboli servitute, nobis per Christi incarnationem collata libertas describitur, ejusque participatio petitur.

Benedixisti Domine terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuae: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuae.

Converte nos Deus salutaris noster: et averte iram tuam a nobis.

Numquid in aeternum irasceris nobis: aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus tu conversus vivificabis nos: et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis.

Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: justitia et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est: et justitia de coelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit et ponet in via gressus suos. Gloria Patri etc.

Psalmus LXXXV.

David opprobriis conscientiae pressus (Christi in angustia mortis positi typus) Dei audientiam postulat; et deduci in viam mandatorum Dei, et ab insequentibus se liberari precatur.

Inclina Domine aurem tuam et exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum me fac servum tuum Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: laetifica animam servi tui, quoniam ad te Domine, animam meam levavi. —

Quoniam tu Domine suavis et mitis: et multae misericordiae omnibus invocantibus te. —

Auribus percipe Domine orationem meam: et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in Diis, Domine: et non est secundum opera tua.

Omnes gentes, quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te Domine: et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua: laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus, in toto corde meo: et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine, Deus miserator et misericors: patiens et multae misericordiae, et verax.

Respice in me et miserere mei, da imperium tuum puero tuo: et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me et confundantur: quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me. Gloria Patri etc.

Psalmus CXV.

Vox Martyris (et cujuscumque fidelis) fidem cordis palam profitentis; seque ad passionis calicem pro Christo gustandum paratum exhibentis.

Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, pro omnibus, quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus et filius ancillae tuae.

Dirrupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis: et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem. Gloria Patri etc. —

Psalmus CXXIX.

Clamor poenitentis, peccatorum condonationem, et maloram liberationem precantis.

De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si inquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri etc. —

Antiph. Ne reminiscaris Domine delicta nostra vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris (Alleluja). Kyrie eleison. Christe

eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Ego dixi: Domine miserere mei. Sana animam meam, quia peccavi tibi. Convertere Dominum aliquantulum. Et deprecabilis esto super servos tuos. Fiat misericordia tua, Domine, super nos. Quemadmodum speravimus in te. Sacerdotes tui induantur justitiam. Et Sancti tui exultent. Ab occultis meis munda me, Domine. Et ab alienis parce servo tuo. Domine, exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Aures tuae pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum: ut tuis mysteriis digne ministrare, teque aeterna caritate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri: ut te perfecte diligere, et digne laudare mereamur. Ure igne S. Spiritus renes nostros et cor nostrum Domine: ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quaesumus Domine, Paracletus, qui a te procedit, illuminet; et inducat in omnem, sicut tuus promisit filius, veritatem.

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus S. quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium S. Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quaesumus Domine, visitando purifica: ut veniens Dominus noster Jesus Christus, filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus S. Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Gregorius XIII. Pontifex maximus concessit cuilibet dicenti ante Missam, quae sequuntur, quinquaginta annorum Indulgentiam.

Ego volo celebrare Missam, et conficere Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi juxta ritum sanctae Romanae Ecclesiae, ad laudem omnipotentis Dei totiusque Curiae triumphantis, ad utilitatem meam totiusque Curiae militantis, pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie, et pro felici statu s. Romanae Ecclesiae Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatium verae poenitentiae, gratiam et consolationem S. Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Orationes ante missam ad libitum.

Die dominica.

Ex S. Anselmo.

Impellit me, Domine Deus, ministrandi officium, hostias salutares offerre pro populi delicto: terret conscientia indebiti Sacerdotii pro reatu proprio. Si a me, omnium Sacerdotum peripsemate, sacrificium offeratur, pollutae conscientiae crimen augetur; si tamen majestati universae carnis Judicis non offertur, negligentiae reatus adscribitur. Inter haec tuae, omnipotens Deus, libramen pietatis imploro; cujus diem ultionis, accusante conscientia, pertimesco, ne indignum misericordia tua judices, quem a tempore poenitentiae non excludis. Suspende, Domine, securim, donec cultor vineae Spiritus S. admoveat cophinum stercoris ad radicem infructuosae arboris. Parce mihi Domine, parce clementissime, qui Davidem post lapsum clementer ad veniam revocasti; qui Petri misericors amarè flentis lacrymas respexisti: qui latronem tanti facinoris reum divina gratia illustrasti, cui mox obtinuit confessio perspicere Dei filium, fides praemium, poena veniam, lamenta gaudium sempiternum, dum confessor in cruce, possessor paradisi exstitit post crucem. Sed quia verba veniâ pietatis tuae indigent, quae indigni Sacerdotis opera non commendant, saltem adstantium vota suscipe; ut et mihi suis apud te precibus veniam, et eorum meritis sacrificia nostrorum vulnerum salu-

briter nobis conferant medicinam. Et quia omnipotens Deus pro nobis omnibus factus es hostia pro peccatis, adsis nobis satisfactio in sacrificio pro delictis, qui vivis et regnas etc.

Feria secunda.

(Ex S. Anselmo.)

Conscientia quidem trepidus, omnipotens Deus, ad altare tuum accedo, sed ad fiduciam de tuae pietatis misericordia retineor. Et licet ad celebranda tibi sacrificia semper inveniar indignus, tamen, si recedo, vereor de obedientia condemnari. Pro qua re dignare me, piissime pater, paterna pietate ac placato vultu respicere et cordis mei interim ora purgare. Et si ego pondere peccatorum meorum ac reatu constringor; mearum tamen precum obtentu, tibi sint, quaeso Domine, in omnibus placita mysteria consecranda.

Per Dominum nostrum etc,

Feria tertia.

(Ex S. Anselmo.)

Conscientiâ culpabilis, vitâ trepidus et anxius, criminum funibus captivatus, te unicum refugium et singulare remedium miserorum deprecor Domine, ut mei indigni Sacerdotis tui miserearis, mihique indulgeas, quod illud sacramentum salutare Angelis

et Archangelis, et omnibus sublimitatibus tremendum et adorandum, sceleratis labiis consecrare ac profanatis manibus praesumo attrectare: sed dum accedo per me, fateor Domine, praesumo de te, memor malorum meorum, et tuorum quae a saeculo sunt, bonorum. Adhuc, Domine, te rogare praesumo, ut non sit mihi sacrosanctum sacrificium tuum ad judicium, neque ad condemnationem; sed potius ad liberationem peccatorum et angustiarum mearum, et ad perennem animae meae salvationem. Id ipsum, Domine Deus, supplicans repeto, non elata, ut ipse conspicis, praesumtione; sed prona et pavida praesumptione: quia miser et immundus Carnis tuae sanctae, et pretiosi Sanguinis tui Sacramentum immundis manibus consecrare audeo. Supplex exoro et obsecro, Domine, ministerium tuum respice, et misero mihi ministro miserere, sacrificatorem purifica, et sacrificium sanctifica. Deus Pater, audi me, quicquid est in me contra me, clementer aufer a me; apta me tuo sancto servitio, ac ministrum idoneum tibi me perfice; et annue, ut quae tibi placita sunt, inter haec sancta mysteria postulem, et quaecunque postulo tuâ, Domine, benignissimâ, quaeso, misericordiâ percipiam. Tibi honor, tibi gloria in saecula saeculorum. Amen.

Feria quarta.

(Ex S. Anselmo.)

Si tantum, Domine, reatum nostrae delinquentiae cogitamus, deputatum observationis ministerium

non implemus: grave est enim, quod ad mensam tuam mundo corde et innocentibus manibus non venimus; sed gravius est, si, dum peccata metuimus, etiam sacrificium non reddamus. Liceat igitur pro inobedientia assistere, pro indulgentia petere, pro officio ministrare, pro remedio immolare, pro populo obsecrare. Quaeso ergo, conforta in me, quod trepidat, cura, quod taedet, reconcilia, quod discordat, evacua, quod corrumpit, humilia, quod superbit. Sit pia justitia clemens correctio; nunquam absorbeat peccatorem, imo reconciliet poenitentem. — Da in salutem disciplinam, non in mortem sententiam: exaudi peccatoris preces, qui visitas in dolore gementem.

Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Feria quinta.

(Ex S. Joanne Chrysostomo.)

Domine Deus noster, emitte manum tuam de sancto habitaculo tuo, et corrobora me ad propositum ministerium tuum, ut citra cordemnationem adsistam metuendo altari, et immaculatum sacrificium peragam, et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Feria sexta.

(Ex S. Basilio.)

Novi Domine indignum me, qui fiam particeps immaculati tui Corporis et Sanguinis pretiosi, et

reus sum, et judicium meum manduco et bibo, non dijudicans Corpus et Sanguinem tuum Christe, Deus meus; sed miserationibus tuis fretus ad te venio; quia dixisti: qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, in me manet et ego in eo. Miserere mei Domine, ne traducas me peccatorem; sed age mecum secundum misericordiam tuam, et fiant mihi haec sancta mysteria in medelam, in purificationem, in illustrationem, in antidotum, in salutem et sanctificationem animi et corporis; in aversionem omnis imaginationis et actionis pravae, efficaciaeque diabolicae, quae secundum sensum in membris meis operatur; sicut in fiduciam et dilectionem, quae tendit in te, in emendationem vitae et securitatem, in augmentum virtutis et perfectionis, in consummationem mandatorum, in Spiritus sancti communionem, in viaticum aeternae vitae, in defensionem acceptabilem apud tremendum tribunal tuum. Amen.

Sabbato.

(Ex S. Augustino.)

Pulcherrime Jesu Christe! rogo te per illam sacratissimam effusionem pretiosi Sanguinis tui, da mihi cordis contritionem et lacrimarum fontem, dum mysterium nostrae redemptionis, manifestum misericordiae tuae indicium recolo, cupiens, sumere illud mirabile et coeleste Sacrificium omni reverentia et devotione dignum, quod tu Domine Deus meus, Sacerdos immaculate, instituisti et facere praecepisti in

commemorationem tuae caritatis, mortis scilicet et passionis pro salute nostra, pro quotidiana nostrae fragilitatis reparatione; confirmetur mens mea inter tanta mysteria, dulcedine praesentiae tuae, sentiat te sibi adesse, et laetetur coram te. Ignis, qui semper luces, amor, qui semper ardes, dulcis Christe, bone Jesu, lumen aeternum et indeficiens: panis vitae, qui nos reficis, et in te non deficis, quotidie comederis et semper integer manes; resplende mihi, accende me, illumina et sanctifica vas tuum, de malitia evacua, imple gratia, et plenum conserva; ut ad salutem animae meae manducem cibum carnis tuae, quatenus manducando te vivam per te, perveniam ad te, et requiescam in te. Amen.

Deprecatio pro omnium necessitatibus.

Memento Domine per viscera misericordiae tuae, per merita Filii tui, quem pro nobis oblatum nunc denuo offero, per merita B. Virginis, et omnium Sanctorum, memento Ecclesiae tuae, sponsae tuae: auge in ea puritatem fidei, et munditiem sanctitatis, et labore virorum Apostolicorum dilata eam toto orbe terrarum. Conserva eam quietam et tranquillam, et portae inferi non praevaleant adversus eam. Hostium ejus elide superbiam, et gentes a fide alienas veritatis tuae splendore collustra, ne pereant tot imagines tuae, pro quibus pretiosus Filii tui sanguis effusus est. Da Summo Pontifici nostro N. cor docile, da Spiritus sancti abundantiam, ut populo sibi

commisso verbo et exemplo praeluceat. Intende oculos pietatis tuae in universos Ecclesiae Praesules et Pastores, et fac eos super gregem sibi commissum fideliter excubare. Adesto Parochis et Presbyteris, et omni clero, ut nulli praebeant scandali occasionem, diligant puritatem, et ea sequantur, quae pacis sunt. Esto propitius omnibus Religiosis, quos separasti tibi in hereditatem de universis populis terrae: da illis continuum in virtute profectum, votorumque, ac regularum exactissimam observantiam. Da huic domui honorum temporalium sufficientiam, et spiritum excita in Praelatis nostris, et in cunctis fervorem accende. Suscita in Ecclesia tua strenuos operarios, qui eam verbo fideliter pascant et exemplo confirment. Da eis rectam mentis intentionem, zeli sinceritatem, contemptum sui, animi robur, virtutis constantiam. Effunde miserationes tuas, Domine Princeps Regum terrae, in omnes Reges, et Catholicos Principes, eisque tribue in obedientia fidei et Ecclesiae perseverantem famulatum, subditorum curam, justitiae zelum, mutuam pacem, et observantiam mandatorum tuorum. Tuum etiam auxilium cunctis Magistratibus praebe, ut pacata gubernatione subjectos regant, te in omnibus judiciis suis timeant, tibique jugiter placere contendant. Da omni statui Ecclesiae abundantiam gratiae tuae, ut unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, tibi digne et laudabiliter famuletur. Da virginibus castitatem, Deo dicatis continentiam, conjugatis sanctimoniam, poenitentibus indulgentiam, viduis et orphanis sustentationem, pauperibus protectionem, peregrinanti-

bus reditum, navigantibus portum, justis perseverantiam, bonis, ut meliores fiant, tepidis, ut fervescant, malis et peccatoribus, qualem me dolens esse confiteor, ut convertantur. Conserva caelum in salubritate, terram in fertilitate, fructus in maturitate, mundum in providentia omni ex parte sufficienti. Respice omnes aegrotos, afflictos, tentatos, agonizantes, et in aliquo periculo, vel necessitate constitutos, et da illis auxilium, remedium, consolationem, prout expedit ad gloriam tuam, et illorum salutem. Supplex item oro te, benignissime Deus, pro omnibus inimicis meis, quos intime diligo: pro iis, qui me offenderunt, vel quos ego offendi aut scandalizavi, ut eis in omnibus benefacias, et pectora eorum sancto igne tuae charitatis succendas. Miserere omnium, pro quibus orare debeo, vel qui se commendaverunt indignis orationibus meis: omnium praecipue consanguineorum, affinium, amicorum et benefactorum meorum N. N. Exaudi preces et vota ipsorum, et subveni eorumdem ad te clamantium necessitatibus. Oro te quoque pro tali re, et negotio N. ut felicem exitum sortiatur, si saluti nostrae profuturum esse cognoscis. Memento etiam, Domine Rex aeterne, cui omnia vivant, animarum omnium fidelium defunctorum praesertim N. et N., super quas invocatum est nomen tuum. Exstinque earum ardorem optato rore misericordiae tuae, et cito purgatas ad conspectum tuum admitte. Pro me ipso tandem infelicissimo peccatore clementiam tuam humillime imploro, ut per virtutem hujus sacrificii universa peccata mea dimittas mihi, quae multipli-

cata sunt super numerum arenae maris. Audi sanguinem Filii tui altius clamantem, quam sanguis Abel, et in virtute hujus oblationis miserere servi tui secundum magnam misericordiam tuam. Dirige me in via tua, et doce me facere voluntatem tuam. Auge in me fidem, spem, charitatem, et reliquas virtutes statui meo necessarias. Da terrena despicere, et amare caelestia. Posside me jugiter secundum beneplacitum tuum, ut te in omnibus, et ubique inveniam, donec per felicem mortem ad te merear pervenire. —

Amen.

Precatio ad Sanctam Virgin. Mariam.

Gloriosissima Mater Dei, Virgo Maria, tota fiducia mea et unicum solatium languentis animae meae, precor te, ut mihi miserrimo peccatori assistere hac hora digneris, qua pretiosissimum Filii tui corpus et sanguinem aeterno Patri oblaturus sum; sicut amans et dolens eidem Filio tuo in cruce pendenti et se pro nostra salute offerenti adstitisti. Ne me despicias, Mater misericordiae, ob intolerabilem peccatorum meorum foeditatem; neque avertas faciem tuam a me, quem Filius tuus tanto amore dilexit, ut pro me mori dignatus sit. Plena es gratiarum, plena rore coelesti, innixa super dilectum tuum, deliciis affluens. Ciba ergo pauperem tuum de super effluenti mensa tua, tuarumque virtutum vestibus indue me, ut his ornatus divino conspectui gratus ap-

paream. Memento illius caritatis, qua Verbum Dei ex te carnem assumpsit, ut tu fieres mater nostra. Aperi manum tuam, et imple me benedictionibus, quibus te Deus benedixit in aeternum, ut te interveniente tremenda mysteria acceptabiliter perficere, et sancta sanctorum digne merear degustare. Amen.

Invocatio omnium Sanctorum.

Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes coelorum: Cherubim ac Seraphim, omnes Sancti et Sanctae Dei, maxime vos, quorum hodie memoriam agimus, succurrite mihi, quaeso, vestris precibus, ut SS. hoc Sacrificium viva fide, ferventi caritate, et plena devotione perficiam; perque ejus continuum et salutiferum usum vestro dignus consortio tandem inveniar. Amen.

Oratio ad Sanctum, de quo Missa.

O sancte N. ecce miser ego peccator tuis fretus meritis oblaturus sum sacratissimum Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, ad gloriam ipsius, tuumque honorem: Precor itaque, ut pro me hodie intercedere digneris, ut tantum sacrificium digne et acceptabiliter offeram. Amen.

Post factam pro commoditate praeparationem, celebraturus finiat praeparationem suam his vel similibus affectibus.

Concede o Jesu, Sacerdos summe! ut sicut per verba consecrationis panem et vinum convertam et transsubstantiabo in Corpus et Sanguinem tuum, ita et ego totus per tuam gratiam convertar ad tuum obsequium; omnes passiones et affectus mei pravi convertantur in affectus et suspiria pia, quibus te semper amem, te corde, ore et opere semper confitear.

Erige me, o Jesu! ut accedam, et sacras vestes induam, ac tuam sacratam personam, quamvis longe indignus agam, ut Corpus et Sanguinem tuum conficiam; da, ut virtutes in vestibus significatas pariter suspiciam, ut Caeremonias praescriptas juxta significationem rite et exemplariter exprimam, ut personam tuam quam piissime agam, ut tibi semper intentus et attentus Missam humiliter celebrem.

Da o Jesu gratiam,
Ut ita faciam,
Ut tibi placeam.
Amen.

Efficax Oratio ad S. Patriarcham Josephum.

Virginum custos, et Pater Sancte Joseph, cujus fideli custodiae ipsa Innocentia Christus Jesus, et Virgo virginum Maria commissa fuit: te per hoc utrumque carissimum pignus Jesum et Mariam

obsecro et obtestor, ut me ab omni immunditia praeservatum, mente incontaminata, puro corde et casto corpore Jesu et Mariae semper facias castissime famulari. Amen.

Alia oratio.

Ant. O felicem virum Beatum Joseph, cui datum est Deum, quem multi reges voluerunt videre, et non viderunt, audire, et non audierunt, non solum videre et audire, sed portare, deosculari, vestire et custodire.

V. Ora pro nobis B. Joseph.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui dedisti nobis Regale Sacerdotium, praesta quaesumus, ut sicut Beatus Joseph Unigenitum Filium tuum natum ex Maria Virgine suis manibus reverenter tractare meruit, et portare: ita nos facias cum cordis munditia et operis innocentia tuis sanctis Altaribus deservire, ut sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem hodie digne sumamus, et in futuro saeculo praemium habere mereamur aeternum. Per eundem Dominum etc.

Pius VII. 1802. 23. Septembr. concessit omnibus sacerdotibus, saecularibus et regularibus, in perpetuum indulgentiam per annum applicabilem quoque animabus purgatorii, quotiescunque has orationes recitaverint.

Actus diversarum virtutum ante Missam.

Fides. Credo in Deum vivum et verum, trinum et unum, creatorem, redemptorem et sanctificatorem meum. Credo et confiteor fidem illam sanctissimam, quam Jesus Christus docuit, quam Apostoli praedicarunt, quam Sancta Romana tenet et profitetur Ecclesia. In hac sancta fide protestor me vivere et mori velle; quia tu Deus illam revelasti, qui es prima et infallibilis veritas.

Spes. Spero in misericordia tua infinita, o Deus auxiliator unice et potentissime corporis et animae meae! et in pretioso sanguine Jesu Christi Salvatoris mei cum tanta charitate pro me fuso, quod remissurus mihi sis omnia et singula peccata totius vitae meae, et daturus vitam aeternam; quia hoc promisisti, et es omnipotens ac fidelis in adimplendis promissis tuis.

Charitas. Amo te, mi Deus! propter te ipsum et summam tuam ac infinitam bonitatem, propter quam dignissimus es, amari super omnia. Utinam te possem amare illo ardentissimo amore, quo te amant et amabunt omnes sancti angeli et beati in coelo, cum quorum amore conjungo imperfectissimum amorem meum.

Benedictus XIII. 1728. 15. Januarii elicientibus hoc actus concessit septem annorum indulgentias: quod si fiat quotidie per mensem cum confessione et communione, concessit indulgentias plenarias pro quovis mense et pro hora mortis.

Directio intentionis ante Missam.

Memento Domine, si tibi placet.

Vivorum:

1. Mei, per *Sanguinem* pro nobis effusum, ut per illum expier a peccatis, et eas virtutes obtineam, quae mihi maxime sunt necessariae, specialiter rogo te hodie pro virtute vel necessitate N.

2. Per angorem:

quem Filius tuus in horto pati voluit, omnium, qui in aliqua calamitate, periculo, necessitate, tentatione aut molestia versantur. Dignare, Domine, propitius intueri tribulationes ac pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

3. Per latus transfixum:

Ecclesiae, quae ex eo orta est.

4. Per caput spinis coronatum:

summi Pontificis omniumque Principum et Antistitum.

5. Per vulnus dexterae manus,

parentum, fratrum, propinquorum omniumque consanguineorum, amicorum meorum et benefactorum, eorum denique omnium, qui pro me specialiter orant et sese meis orationibus commendarunt.

6. Per vulnus sinistrae:

omnium, qui me oderunt vel aliqua molestia aut scandalo affecerunt, et omnium inimicorum meorum.

7. Per dexterum pedem transforatum:

personarum et negotiorum meae curae quacunque ratione commissorum.

8. Per sinistrum:

omnium, qui sunt in peccato mortali, ut in rectam viam transferantur.

9. Per flagella, sputa et alapas:

ethnicorum, haereticorum, caeterorumque infidelium, qui te contumeliis afficiunt, praesertim N. N.

10. Per sitim:

eorum, qui meas preces jure expetunt, licet eorum nominum non sim memor.

11. Per crucifixionem:

Religiosorum omnium ordinum, ut crucem voluntariae asperitatis libenter ferant.

Mortuorum:

1. Per angorem,

quem Filius tuus in horto pati voluit, animarum pauperum, pro quibus nemo orat, et pridem jam mortuorum, quorum nulla memoria.

Per vulnus sacratissimi cordis Filii tui:

Animarum parentum, fratrum, propinquorum, omniumque consanguineorum et amicorum meorum.

3. Per vulnera capitis spinis coronati:

Animarum omnium Sacerdotum et Ministrorum Ecclesiae catholicae.

4. Per vulnus dexterae manus:

Animarum omnium benefactorum meorum in spiritualibus et temporalibus.

5. Per vulnus sinistrae:

animarum eorum, quorum cura mihi quacunque ratione aliquando incubuit.

6. Per pedem dexterum transfixum:

animarum omnium, qui sese meis orationibus commendarunt, et cum in terris vivebant, etiam pro me specialiter orabant.

7. Per sinistrum:

animarum omnium, qui me molestiis aliquando, aut scandalo affecerunt, atque omnium inimicorum meorum et nostrae familiae.

8. Per flagella, sputa et alapas:

animarum eorum, qui specialiter devoti erga S. S. Filii tui passionem atque matrem ejus dolorosam in his terris existebant.

9. Per sitim:

animarum illorum, pro quibus quacunque ratione teneor orare.

10. Per mortem et sepulturam: memento animarum omnium, quos tu vis a me juvari, atque omnium in justitia defunctorum, ut, qui cum Filio tuo in hoc saeculo vivebant, in regnum ejusdem aeterna beatitudine coronati quantocius recipiantur.

Orationes Sacerdotis.

Ad lotionem manuum et vestium sacerdotalium assumtionem.

Cum lavat manus: Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam: ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

Ad amictum: Impone, Domine, capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus.

Ad Albam: Dealba me, Domine, et munda cor meum: ut in Sanguine Agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis.

Ad Cingulum: Praecinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis: ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.

Ad Manipulum: Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.

Ad Stolam: Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in praevaricatione primi

parentis: et quamvis indignus accedam ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

Ad Casulam: Domine, qui dixisti: Jugum meum suave est et onus meum leve; fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.

Discessus Sacerdotis ab Altari, et quaedam exercitia post Missam.

Quia finis bonorum operum debet esse gratiarum actio, ab Altari post sacrum discessurus, Canticum incipis trium puerorum, quo ad gratias pro tanto beneficio Deo agendas omnes creaturas invitas. Ipsum itaque recitabis, dum pergis in sacristiam, dum te sacris vestibus exuis, omni possibili devotione atque ardentissimo affectu Deum benedicendi et superexaltandi propter ipsius infinitam bonitatem. Tum in locum te recipies ab omni strepitu et distractione remotum, in quo clauso ostio cordis tui, caeterisque cogitationibus exclusis, soli Deo vacabis, nec ab eo recedes, donec benedixerit tibi!

Gratiarum actio post Missam.

Antiphon. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum (Alleluja.)

(Quae Antiphona in Festis duplicibus tantum duplicatur.)

Canticum.

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite coeli Domino.

Benedicite aquae omnes, quae super coelos sunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino: benedicite stellae coeli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et aestus Domino: benedicite frigus et aestus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino: benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino: benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebrae Domino: benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite montes et colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete et omnia, quae moventur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres coeli Domino.

Benedicite omnes bestiae et pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus et animae justorum Domino: benedicite sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misaël Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu: laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Benedictus es, Domine, in firmamento coeli: et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula.

Psalmus CL.

Laudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubae: laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro: laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri. Sicut erat.

Ant. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Kyrie eleison. Christi eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster. (Secreto.)

V. Et ne nos inducas in tentationem.
R. Sed libera nos a malo.
V. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.
R. Et sancti tui benedicant tibi.
V. Exultabunt Sancti in gloria.
R. Laetabuntur in cubilibus suis.
V. Non nobis, Domine, non nobis.
R. Sed nomini tuo da gloriam.
V. Domine, exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.
V. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Da nobis, quaesumus. Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere: qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare.

Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Orationes post celebrationem dicendae.

Gratias tibi ago, benignissime Deus, quod me vilissimum peccatorem admittere dignatus sis ad vivificum tuae mensae convivium. Et quis sum ego pulvis et cinis, ut apponeres erga me cor tuum, inclinans Coelos tuos et descendens, ut sanguine tuo purissimo sordes meas lavares, et deficientem prae fame animam meam, non Mannâ de Coelo, sed carne tuâ immaculatâ reficeres et satiares? Si Coeli Coelorum te capere non possunt, et Angeli non sunt mundi in conspectu tuo, quis ego sum, et quae domus mea, ut ad me venire, et indignis manibus meis contrectari, ac in me commorari volueris? Quid in me invenisti, Rex tremendae majestatis, quod à Templo gloriae tuae traheret te, et descendere faceret in abyssum miseriarum? Vos Angeli sancti, vos omnes electi Dei, venite, audite, et narrabo vobis, quanta fecit Deus animae meae: cum enim essem pauper et abominabilis, nec auderem oculos meos levare ad Coelum prae multitudine iniquitatum mearum, ille me de pulvere suscitavit, et erexit de stercore, ut sederem cum Principibus, et de mensa ejus comederem omnibus diebus vitae meae. Gratias illi agite ex me vos amici mei fidelissimi: ego enim puer sum non annis, sed sensu, et nescio loqui, nec verba invenio, quibus possim, ut par est, tam copiosum munus gratiae extollere et praedicare. Quis enim amor infinitae charitati ejus a me reddi potest, qui frigus et gelu dici, non

autem amor mereatur? Quae laus, quae adoratio, quale obsequium meum erit, quod nullum non reddat infinita ejus perfectio et dignitas, et ima ac summa indignitas mea? Sed tu Domine miserator et clemens, et immensae bonitatis, tu nosti figmentum meum, ne despicias humillimam gratiarum actionem, quam tibi offero de paupertate mea, et sacrificium laudis meae honorificabit te. Tua est magnificentia, tua est gloria, et tibi laus in perpetuas aeternitates pro tam excelso et incomparabili beneficio. Tibi laudes concinant, tibi mecum gratias agant universi populi, tribus et linguae; omnes Angeli et Sancti tui, quoniam misericordia tua magnificata est super me, et miserationes tuae super omnia opera tua. Jubilent tibi omnes creaturae, quaecunque Coeli, terrae, et abyssi ambitu continentur, et laudem tibi perpetuam dicant, quae à te exiens in te refluat omnium rerum principium et finem. Jubilent tibi et gratias agant cor meum et anima mea, vires, sensus, potentiae, et omnia membra corporis mei: tibique soli sit honor et gloria, à quo, per quem, et in quo sunt omnia; qui es Deus benedictus et laudabilis in saecula saeculorum. Amen.

Petitiones post Missam.

Dulcissime amator, Domine Jesu Christe, qui me corpore tuo immaculato, et pretiosissimo sanguine refecisti, ignosce, obsecro, indignitati meae, et quicquid deliqui in hujus Missae celebratione, misericorditer indulge. Respice in me oculis mise-

ricordiae tuae, et supple excessu meritorum tuorum meam nimiam imperfectionem. Riga me lacrymis, quas fudisti pro me; unge me myrrhâ doloris tui, astringe vinculis, ablue sanguine, cruce erige, morte vivifica. Penetret amor tuus viscera mea, et omnem alienum amorem expellat. Inprime cordi meo amorem crucis et humiliationis, qui, ut me redimeres, nec uno quidem momento sine cruce esse voluisti. Ne patiaris me sine fructu à te recedere, sed operare mecum mirabilia tua, sicut cum sanctis tuis operatus es: et fac me ambulare in fortitudine cibi stius usque ad montem perfectionis; succende me ignita vi amoris tui, ut sim tecum consummatus in unum, omnino abstractus à me ipso, et ab omni creatura. Omnibus quoque famulis tuis, pro quibus obtuli hoc Sacrificium: et pro quibus orare debeo, seu tu rogari vis, da pacem, salutem, et tuam benedictionem. Converte miseros peccatores ad te, revoca haereticos atque schismaticos, illumina infideles te ignorantes. Adesto omnibus, qui in aliqua necessitate et tribulatione constituti sunt. Esto propitius propinquis et benefactoribus meis. Miserere omnium adversantium mihi, vel qui me aliquâ molestiâ affecerunt. Succurre illis, qui se meis precibus commendarunt. Da vivis veniam et gratiam: Da fidelibus defunctis lucem et requiem sempiternam. Amen.

Aspirationes post Missam ad B. Virginem, Angelos et Sanctos.

Respice in me, Gloriosissima Virgo Maria, quia dignum objectum oculorum tuorum nunc factus sum. Loquere pro me bona dilectissimo Filio tuo, qui me Corpore et Sanguine suo suavissime refecit, et offer ei merita tua in supplementum imperfectionis meae. Gratias age ei pro me, et impetra mihi, ut Sacramentali suâ praesentiâ non discedat à me, nisi relinquat post se animae meae largissimam benedictionem.

Angeli sancti, ministri Dei altissimi, facientes verbum illius, aspicite Primogenitum Patris aeterni, quem introeuntem in orbem terrarum jussu Patris adorastis, et facite me in eo spiritu et veritate illi servire, quâ vos eidem in hac vita ministrastis, et nunc in coelesti patria servitis.

Sancti Patriarchae et Prophetae, viri desideriorum, conscii secretorum Dei, intuemini promissum ab initio mundi Redemptorem, quem tam ardenter desiderastis, et tanto tempore expectastis, nec videre potuistis: facite me toto affectu ad ipsum suspirare, ut reliquae promissiones ejus fideles inveniantur, et sentiam promissos hujus Sacramenti effectus.

Apostoli Jesu Christi, ejusque Evangelii clarissimi Praedicatores, aspicite in me ipsum dilectissimum magistrum vestrum, quem tantopere dilexistis: et impetrate mihi, ut intimis visceribus ipsum super omnia amem, ejusque fervoris particeps fiam,

quem tunc experimentaliter gustastis, quando hoc cibo de manu ejus refecti fuistis.

Invictissimi Martyres, Christum respicite crucifixum, pro cujus amore sanguinem vestrum tam libenter fudistis, ipsumque orate, ut me semper in cruce vivere et mori faciat, quatenus vicem, quam possum, ejus dilectioni rependam.

Beati Pontifices, dominici gregis pastores, Agnum cernite immaculatum, quem omnipotenti Deo in sacro altari toties immolastis; et vestris precibus facite me tanti sacrificii dignum ministrum, ut me ipsum bonis operibus perpetuo immolem tam sacrae oblationi associatum.

Servi fideles Christi, Sancti Monachi et Eremitae, videte dulcissimum Dominum vestrum, pro quo omnia hujus mundi oblectamenta, et affectu et re ipsa reliquistis; et facite me pro ejusdem amore prospera mundi despicere, nulla ejus adversa formidare, et ad fastigium sanctitatis quantocius pervenire.

Purissimae Virgines, sponsum vestrum intueamini, cui cum summa exultatione Virginitatem vestram consecrastis, illibatam mihi mentis et corporis puritatem obtinete, ut hujus vitae cursu peracto mundus ab omni labe in conspectu Domini merear praesentari.

Omnes Sancti et Sanctae Dei, consolatio pauperculae animae meae, vos praesertim patroni et protectores mei, aspicite magistrum, auctorem, et praemium sanctitatis vestrae, ac universam vestram felicitatem intra viscera mea manentem, mihique ab

ipso, cui vos tantopere verbo et exemplo in hac vita conformastis, vestris intercessionibus impetrate, ut vestra semper vestigia sequar, et ut ad scopum mihi propositae perfectionis, ac tandem plenus meritis ad vestrum merear consortium pervenire.

Conclusio

Exercitiorum post Missam.

Anima Christi: sanctifica me, Corpus Christi: salva me: Sanguis Christi: inebria me. Aqua lateris Christi: lava me. — Passio Christi: conforta me: O bone Jesu: exaudi me: Intra tua vulnera absconde me: ne permittas me separari à te: Ab hoste maligno defende me: In hora mortis meae voca me: et jube me venire ad te: ut cum Sanctis tuis laudem te; In saecula saeculorum. Amen.

Benedictio mensae.

Ante prandium.

S. Benedicite. R. Benedicite.

S. Oculi omnium. R. In te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.

Gloria Patri. Sicut erat.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Secreto.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

Oremus.

Benedic, Domine, nos, et haec tua dona, quae de tua largitate sumus sumturi. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

L. Jube domne benedicere.

Bno. Mensae coelestis participes faciat nos Rex aeternae gloriae. R. Amen.

Post prandium.

L. Tu autem Domine miserere nobis. R. Deo gratias.

S. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. R. Et sancti tui benedicant tibi.

V. Gloria Patri. R. Sicut erat.

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis: qui vivis et regnas in saecula saeculorum. R. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalmus Miserere mei, vel Psalmus 116:

Laudate Dominum omnes Gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri. Sicut erat.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison, Pater noster. (Secreto.)

V. Et ne nos inducas in tentationem.
R. Sed libera nos a malo.
V. Dispersit, dedit pauperibus.
R. Justitia ejus manet in saeculum saeculi.
V. Benedicam Dominum in omni tempore.
R. Semper laus ejus in ore meo.
V. In domino laudabitur anima mea.
R. Audiant mansueti et laetentur.
V. Magnificate Dominum mecum.
R. Et exaltemus nomen ejus in idipsum.
V. Sit nomen Domini benedictum.
R. Ex hoc, nunc, et usque in saeculum.

Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. R. Amen.

V. Benedicamus Domino. R. Deo gratias.

V. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. R. Amen.

Pater noster. (Secreto.)

Dominus det nobis suam pacem. R. Amen.

Ante coenam.

S. Benedicite. R. Benedicite.

S. Edent pauperes. R. Et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum; vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Gloria Patri. Sicut erat. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

Oremus.

Benedic, Domine, nos, et haec tua dona, quae de tua largitate sumus sumturi. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

L. Jube domne benedicere.

B n o. Ad coenam vitae aeternae perducat nos Rex aeternae gloriae. R. Amen.

Post coenam.

L. Tu autem Domine miserere nobis. R. Deo gratias.

S. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus. R. Escam dedit timentibus se.

V. Gloria Patri. R. Sicut erat.

Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. R. Amen.

Deinde dicitur Psalmus: Laudate Dominum omnes Gentes, et reliqua ut supra post prandium. Quando semel comeditur, omnia dicantur ut in coena.

Praedictus modus benedicendi mensam et agendi gratias servatur omni tempore, praeterquam diebus infra scriptis, quibus Versiculi initiales tantum variantur, et Psalmus (si libet) variari potest.

In Nativitate Domini, usque ad coenam Vigiliae Epiph. excl.

Ante prandium et coenam:

V. Verbum caro factum est, alleluja. R. Et habitavit in nobis, alleluja.

In fine: V. Notum fecit Dominus, alleluja, R. Salutare suum, alleluja. (Ps. 97. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.)

In Epiphania et per totam Octavam.

Ante prandium et coenam:

V. Reges Tharsis et insulae munera offerent, alleluja. R. Reges Arabum et Saba dona adducent, alleluja.

In fine: V. Omnes de Saba venient, alleluja. R. Aurum et thus deferentes, alleluja. (Ps. 71. Deus judicium tuum regi da.)

In coena Domini.

Dicitur absolute: Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem.

Deinde Pater noster totum secreto.

In fine: Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem. Postea Ps. 50. Miserere mei,

sine Gloria Patri, et deinde Pater noster secreto et absolute Oratio:

Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum.

Et nil amplius dicitur.

In Parasceve.

Omnia ut in coena Domini; sed ad V. Christus factus est etc. dicitur R. Mortem autem Crucis.

Sabbato sancto.

Dicitur iterum: Benedicite; dein V. Vespere autem Sabbati, quae lucescit in prima Sabbati, alleluja. R. Venit Maria Magdalena et altera Maria videre sepulcrum, alleluja.

In fine repetitur V. Vespere autem etc. (Ps. Laudate Dominum omnes Gentes).

In die Paschae.

usque ad coenam sequentis. Sabbati.

Ante prandium et coenam: V. Haec dies, quam fecit Dominus, alleluja. R. Exultemus et laetemur in ea, alleluja.

In fine repetitur: V. Haec dies etc. (Ps. 117. Confitemini Deo.)

In Ascensione Domini usque ad Vigiliam Pentecost. exclus.

Ante prandium et coenam: V. Ascendit Deus in jubilatione, alleluja. R. Et Dominus in voce tubae, alleluja.

In fine: Ascendens Christus in altum, alleluja. V. Captivam duxit captivitatem, alleluja. (Ps. 56. Omnes gentes plaudite manibus.)

In festo Pentecostes a Vigilia ejusdem inclus. usque ad coenam sequ. Sabbati excl.

Ante prandium et coenam: V. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, alleluja. R. Et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis, alleluja.

In fine: V. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, alleluja. R. Et coeperunt loqui, alleluja. (Ps. 47. Magnus Dominus.)

Exercitium Vespertinum.

Oratio Vespertina.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti Amen.

Inclinata est dies: nox appropinquavit. Venite, extollamus manus nostras in sancta, et glorificemus Dominum, qui fecit nobiscum misericordiam suam.

V. Benedic anima mea Domino.

R. Et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Oremus.

Deus, qui divitias tuae immensae bonitatis in nobis ostendere non desinis: tibi pro collatis beneficiis gratias agimus humiliter deprecantes, ut quod immeritis tribuere dignatus es, semper ad majorem nominis tui gloriam referamus. Per Christum Dominum nostrum.

Amen.

O clementissime Deus, Creator, Protector et Redemptor meus, te benedico, laudo et glorifico cum omnibus Angelis et Electis Dei; gratiasque ago pro animi et corporis donis ac beneficiis mihi hodie et alias liberalissime collatis. Quid retribuam tibi Domine pro omnibus, quae retribuisti mihi? Me totum, et omnia, quae dedisti mihi; insuper et omnium Sanctorum laudis et amoris affectus,

in unione passionis ac meritorum Christi tibi pro merita gratiarum actione offero. Suscipe, o Pater aeterne, hanc oblationem meam; utinam majori affectu nunc, et in aeternum cum omnibus creaturis te laudare et glorificare possim! Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum!

Petitio luminis.

Veni sancte Spiritus, et emitte coelitus lucis tuae radios: illumina mentis meae tenebras, ut peccata hodie commissa negligentiasque meas videam, agnoscam et detester.

Mentis discussio.

Quantas habeo iniquitates et peccata, scelera mea et delicta ostende mihi.

Omnes diei horas percurre, et vide, quid boni neglexeris, quid mali commiseris cogitatione, verbo, opere.

C o n s i d e r a.

Unde venis? —
Quo tendis? —
Quomodo vivis? —
Quid agis? —
Quid admittis? —
Quantum quotidie proficis, vel deficis?

Quibus cogitationibus magis incursaris? —

Quibus affectibus tangeris? —

Quibus tentationibus a Maligno acrius impugnaris? —

I n t e r r o g a   t e:

An hodie omnibus officiis sacerdotalibus satisfeceris? —

Nonne neglexisti lectionem spiritualem? —

Aut praeparationem ad conciones ac catecheses praetextu: „Sufficit populo, sufficit parvulis.“ —

Nonne forsam lucrandi causa missam celebrasti? —

Aut sine praeparatione e cubili ad altare prorumpens? —

Nonne statu peccati mortalis sacramentum accepisti? vel dispensasti? —

Nonne officium divinum omisisti? — et ex quibus causis? —

Nonne intermisisti pro parochianis viventibus ac defunctis orare ac Sacrificium offerre? —

Explevisti omni diligentia ac sanctitate officia Confessarii? Concionatoris? Catechistae?

Nonne de altari luxuriatus es? immemor, bona ecclesiastica patrimonium Christi ac pauperum esse?

Nonne scandalum dedisti frequentatione cauponarum? — aut ludendo? aut venando? aut imprudenti vel improba conversatione cum mulieribus? — aut inimicitiis cum subditis vel superioribus tuis? —

Num paratus es, si subito Dominus animam tuam a te repeteret? ac rationem villicationis tuae? etc.

Oratio pro remissione peccatorum cum actu doloris.

En, Domine Deus, quid retribui tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi, nisi peccata, negligentias, et ingratitudines! Ah! quam doleo, quod te Deum, summum bonum meum, mihi super omnia dilectum, unquam offenderim! Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. Erravi, sicut ovis, quae periit. Respice in me, et miserere mei. Ignosce, o Deus, ignosce per gemitus, lacrymas, passionem et mortem dilectissimi Filii tui, Domini mei Jesu Christi.

Ecce, mi Jesu, in te, posita est omnis spes mea. Te supplex oro, ut omnia scelera et delicta mea sacratissimo Sanguini tuo immergas, tuisque

infinitis meritis compenses, quidquid meae satisfactioni deest, tu enim es Propitiatio pro peccatis nostris.

Propositum.

Iterumne peccabo? tuaque, o Jesu, sanctissima vulnera, et pretiosum Sanguinem pro me effusum conculcabo? Pudet oculos in coelum levare, qui vita me indignum agnosco. Quid ergo in posterum? tene rursus offendam, haeccine peccata repetam? istas N. occasiones non fugiam? rem N. tam vilem tibi praeferam? Dixi, nunc coepi, tuam mihi, o Jesu, dexteram porrige. Persequar inimicos, id est peccata mea. Succurite, o Coelites, tuque imprrimis o misericordiae Mater, et tu Angele mi custos, vosque nominatim o Patroni mei N. N. adeste, adjuvate, ut omnia in posterum peccata evitem, potissimum istud N. Confirma hoc Deus, quod modo operatus es in me.

Cave, ne unquam, licet occupatissimus, examen hoc vespertinum omnino negligas, mane forsitan hac nocte animam tuam Dominus a te repetet: vide, num parata sit ratio villicationis tuae. Si cras veneris, debes altari adstare: vide, num sis mundus totus! Si vero otium non habeas, aut non lubeat, orationes hic praescriptas recitare, age vel unico suspirio Deo tuo gratias pro acceptis isto die totaque vita beneficiis. Pete similiter lumen, inspice conscientiam, et vide, qua in re Deum isto forte die graviter offenderis. Contritionem elice cum proposito emendationis.

Potes hac ratione aeternae damnationis periculum evadere adeoque etiam sine Confessione salvari. Nemo tamen hac spe fretus libere praesumat peccare: Nolite errare (monet nos Apostolus ad Gal. 6.) Deus non irridetur.

Oratio ad S. S. Trinitatem pro felice morte impetranda.

Pater aeterne, per infinitam bonitatem tuam, per vitam et mortem dilectissimi Filii tui, te rogo, concede mihi, ut in tua gratia semper vivam, et moriar. Amen.

Benignissime Jesu, per amorem Patris tui, quo te ab aeterno complexus est, per ultima verba, quibus, in Cruce Patri tuum Spiritum commendasti, te rogo, suscipe spiritum in fine vitae meae.

O sancte Spiritus, accende in me perfectam charitatem, et in illa spiritum meum confirma, dum ex hac vita emigret.

Sanctissima Trinitas, unus Deus, miserere mei, nunc et in hora mortis meae. Amen.

Commendatio Deo, B. Virgini, et Sanctis.

O Jesu, rex altissime,
O fons misericordiae,
Horam mortis terribilem
Pro spe bona fac facilem.
Secura conscientia
Non ibi multum trepidat,
Nam spe facta robustior
Multum transit constantior.

Non aliud sit gaudium,
Vel meum desiderium,
Quam ut exutus corpore
Tibi possim assistere.
Maria, templum Domini,
Sacrarium paraclyti,
Sacrarum decus virginum,
Moerentium solatium,
Ad te suspiro, Domina,
Meas accepta lacrymas,
Sinum misericordiae
Dignare mihi pandere;
Quod voles, unigenitus
Donabit tibi filius,
Pro quibus voles, veniam
Impetrabis et gloriam.
O vos coelorum Incolae,
Cives supernae patriae,
Qui Deo fruimini,
Nobis et compatimini;
Angeli, quos gravissima
Carnis non premit sarcina,
Orate pro hominibus
Sub ea laborantibus.
Petre, piscator hominum,
Et Paule, doctor gentium,
Cum caeteris Apostolis
Ope juvate celeri.

Hymnus Ecclesiae.

Te lucis ante terminum,
Rerum creator, poscimus:
Ut pro tua clementia
Sis praesul, et custodia.
Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata,
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora,
Praesta, Pater piissime,
Patrique compar unice
Cum Spiritu paraclyto
Regnans per omne saeculum.
Amen.

Antiph. Salva nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

V. Custodi nos Domine, ut pupillam oculi.
R. Sub umbra alarum tuarum protege nos.
V. Domine exaudi etc.
R. Et clamor meus etc.

Oremus.

Visita, quaesumus Domine, habitationem tuam et omnes insidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper.

Per Dominum nostrum. Amen.

Petitio benedictionis.

Dignare, Domine Jesu, cum Patre et Spiritu sancto, dare mihi tuam benedictionem; uberemque gratiam, ut tibi in somno, et vigilia, in vita et morte, puro corde et casto corpore perfecte semper placeam. Amen.

Benedicat et custodiat nos omnipotens, et misericors Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

Inter exuendum dicatur Ps. Miserere, rel: de Profundis.

Dum lectum ingrederis.

In nomine Domini nostri Jesu Christi crucifixi cubitum eo; ille me benedicat, regat, custodiat, et ad vitam perducat aeternam. Amen.

In Lecto.

In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me, Deus veritatis.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna custodi, rege, et guberna. Amen.

In pace in id ipsum dormiam et requiescam.

Benedictiones Vespertinae singulis hebdomadis diebus.

Die Dominica.

Aeterne Deus, misericors Pater, elevo manus meas, ut sacrificium vespertinum in conspectu Tuo; Te laudo, Te adoro, Tibi gratias ago, quod me hac die et omni tempore vitae meae ab omni malo ac periculo, per Angelorum Tuorum custodiam, contra insidias Satanae clementer protexisti.

Oro Te, ut velis mihi condonare omnia peccata mea, quae injuste perpetravi, velisque me hac nocte Angelis Tuis circumdare, ut mihi assistentes instar propugnaculi me muniant: ut eo facilius retia fallacia et latentes Satanae insidias effugere possim.

Fac, ut ego, manuum Tuarum opus miserum, bonitati et misericordiae Tuae commendatus sim. Custodi me extenso brachio Tuo. Nam ex intimo cordis affectu nocte Te desidero; spiritu meo semper ad Te vigilo. Exspecto bonitatem Tuam, et anima mea sperat in Te Deum vivum. Tu enim es Salvator meus et refugium meum.

Ecce Domine, sive vigilamus, sive dormimus, Tui sumus: sive vivimus, sive morimur, Tu noster Deus es, qui creavit nos.

Ad Te igitur clamo, ne procul a me sit gratia Tua, protege me scuto Tuo. Conserva me, ut in pace quiescam, placide dormiam, et rursum sanus evigilem.

Absconde me in tabernaculo Tuo: absconde me in abscondito tabernaculi Tui, et exalta me in petra: non timebo mihi mala. Nam etsi ambulavero per vallem umbrae mortis, non timebo malum, quoniam Tu mecum es. Concede mihi gratiam Tuam, ut dormiente corpore anima mea semper ad Te vigilet: ut Te semper in corde meo habeam, neve unquam ex animo meo discedas. Conserva me a malis et turpibus insomniis, a vigiliis inquietis, a curis inutilibus, a noxiis et gravibus cogitationibus, et tandem ab omni anxietate.

Ecce, mi Domine, clementissimae protectioni Tuae commendo corpus et animam, carissimos fratres et sorores, et omnes, qui mihi cura pastorali conjuncti sunt. Extende super nos manus Tuas, et bonitate Tua hac nocte nos protege; circumda nos undique; gratia Tua suppone nobis misericordiam Tuam, ut anima et corpore defendamur, per Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium Tuum. Amen.

Feria secunda.

Fortis et vive Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, gratias Tibi ago, qui me hoc die per divinam Tuam protectionem ab omnibus malis ac periculis clementer custodivisti et animae et corporis: hoc totum divinae Tuae misericordiae acceptum fero, qui solus in omnibus viis ac semitis meis me protegis: Oro praeterea, ut mihi remittere velis omnia mea peccata, quae contra Te commisi, et me et omnes homines hac nocte et posthac omnibus diebus vitae nostrae clementer conservare velis, ab omni angustia atque offensione, ab insidiis et fallaciis satanae, quibus nos noctesque diesque illaqueare conatur.

Protege nos ab omni peste nociva, quae in caligine ambulat, a gravibus infirmitatibus et doloribus, a metu et terrore, ab omni denique, tam corporis, quam animae periculo: quia Tu praesidium mei potens, firmamentum validum, tegumentum ab aestu, et in ruina auxilium.

Propterea, fidelis Deus, sis spectator noster, protectione Tua nos circumda, ne quid nobis obesse valeat. Nam in Te solo salus nostra est; ad Te solum levo oculos meos, unde veniet auxilium meum. Auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram. Ecce, sicut oculi servorum intenti sunt ad manum dominorum suorum; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Miserere nostri, Deus, miserere nostri, quia pauperes sumus et egeni. Leva super me lumen vul-

tus Tui, Domine, et illumina oculos meos, ne forte obdormiam in morte, qni vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Feria tertia.

Domine, misericors Deus, sancte Pater, in die clamo coram Te voce mea, in angustia mea invoco Te, et vesperi recordor bonitatis et misericordiae Tuae, quam praestitisti mihi; jam vero imprimis laudo Te, qui me ex sola gratia et misericordia, sine ullis meis meritis elapso hoc die ab innumeris damnis ac periculis, quae me potuissent invadere, tam paterne custodivisti. Propterea jam Tibi et omni tempore gratias ago maximas, et oro propter amaram passionem Jesu Christi, ut velis mihi condonare omnes iniquitates, quas hodie contra Te perpetravi; velisque me futura nocte contra quodvis periculum clementer defendere.

Conserva me cum omnibus, quaecunque possideo, ab omni corporis et animi malo. Concedas me placide absque omni cura atque angore obdormire, ut et in tenebris lucem splendoris Tui divini super me lucentem oculis cordis mei videam. Tu enim lux illa vera es et clara, quae cunctas tenebras, quae circumdederunt nos, illuminat.

Tu, Domine Deus, mecum es, Tu petra mea et arx mea, liberator et adjutor meus, in quo sperabo; scutum meum, et cornu salutis meae, et susceptor meus. Domine Deus meus, nocte expando

ad Te manus meas, velociter exaudi me et protege me hac nocte, ne Spiritus meus in peccatis obdormiat, et corpori meo aliquid mali accidat. Excita me convenienti et opportuno tempore, ut lucem crastini diei pro clementi voluntate Tua, rursus vivus adspiciam. Tu enim solus vitam meam servare, et mihi omni benedictione spirituali benedicere potes, in Jesu Christo, Domino nostro. Amen.

Feria quarta.

O sancta Trinitas, in una eademque divina essentia, tu vita es mihi, salus et perpetua consolatio, gratias Tibi ago, ore et corde, quod me per hunc diem clementer tutatus es.

Oro divinam bonitatem tuam, ut omnes iniquitates meas tegere velis, maxime vero, quidquid hodie contra Te et contra sancta praecepta Tua, lingua mea, inutilibus verbis, detractione, aut alio quocunque modo peccavi; velisque me hac futura nocte quoque conservare ab omni damno et periculo.

Quia in Te solum confido, Tu Dominus meus es; et Deus meus: in manus Tuas commendo corpus et animam meam.

Benedicat nunc me divina majestas; protegat me sancta Trinitas; conservet me sempiterna unitas; tueatur me immensa misericordia; defendat me ineffabilis clementia; laetificet me infinita dulcedo; contegat me suprema veritas Dei; confirmet me pro-

funda cognitio Jesu Christi; custodiat me ineffabilis bonitas Domini!

Gratia Patris regat me; Sapientia Filii reficiat me; Virtus Spiritus Sancti illuminet me! Creator meus, succurre mihi; Redemptor meus, adjuva me; Consolator meus, fer mihi opem.

Benedicat mihi Dominus et custodiat me; lucentem faciat faciem suam super me et misereatur mei: attollat faciem suam ad me, et det mihi pacem!

Haec protectio et haec invocatio unius et sempiternae Deitatis sit hodie, et nunc et semper inter me et omnes inimicos meos, visibiles et invisibiles, ne ad me accedere et me laedere valeant; quemadmodum columna nubis in deserto stetit intra castra Aegyptiorum et castra filiorum Israel, nec appropinquavit alter alteri, quominus aliquid mali filiis Israel evenire posset; ita inter me et omnes inimicos meus murus igneus esse velis, ne appropinquent inimici mei ad laedendum me.

Conserva me etiam in ultima hora vitae meae; tunc quando oculi mei non videbunt, aures non audient, nec lingua amplius loquetur: tunc mihi succurre, sanctissima et benedicta Trinitas. Amen.

Feria quinta.

Benedictus Deus ac Pater Domini nostri Jesu Christi, in Spiritu Sancto, unus et aeternus Deus, qui multiplici sua misericordia me miserum peccatorem et hominem egenum, hodierno die clementer

defendit, ab omni morbo et calamitate, ab improvisa morte paterne custodivit: Bone Deus, quam magna et supra coelos bonitas et misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua. Oro Te Deum munificum, ut ex gratia mihi condonare velis, quidquid contra Te, tam operibus, quam verbis, sive cogitationibus perpetravi. Misericordiam quoque Tuam largiri mihi velis, et me futura hac nocte obdormire et quiscere sinas, ut Te, qui es aeterna requies, nunquam, nec in omnem aeternitatem relinquam, sed in Te maneam per fidem, et sub protectione Tua securus habitem.

Dominus, lux mea et salus mea, a quo timebo? Deus, fortitudo vitae meae, a quo pavebo? In Te confidit cor meum, et adjutus sum. Tu firmamentum meum et potens praesidium, dextera Tua roborat me, dextera Tua consolatur me, et sub umbraculo brachiorum tuorum refugium meum est.

Ecce, mi Deus, clamo per diem, et respondes mihi, et nocte non sileo, attamen exaudis me. In cubilibus meis recordor Tui, et in vigiliis meditor de Te: quia fuisti mihi auxilium, et in umbra alarum Tuarum exulto. Adhaesit anima mea Tibi, et dextera Tua sustentat me.

O benigne Deus, gratiam mihi concede, quaeso, ut, si extrema vitae meae hora appropinquaverit, et ego me in lecto mortis ad sempiternam requiem composuero, fretus auxilio Tuo, in vera et firma fide constans et intrepidus, pie in aeternam vitam obdormiam! Amen.

Feria sexta.

Benedictus Dominus, qui facit mirabilia solus, et benedictum nomen gloriae ejus in saeculum, et repleatur gloria ejus universa terra. Celebrabo nomen Dei per singulos dies, et vesperi semper laus ejus erit in ore meo. Nam cum clamavero, exaudit me; cum deprecatus ipsum fuero, inclinat ad me aures suas; et cum oravero, ad vocem meam intendit. Dominus mihi protectio et fortitudo, auxilium in angustiis inveniemus abunde. Quapropter, aeterne Deus, Tibi laudem et gloriam dico, quod me hoc die salvum servasti. Cor meum exultat, et anima mea laudat Te propter bonitatem et misericordiam Tuam. Loquetur lingua mea eloquium Tuum, et dicat semper: magnificetur Dominus, benedictum sit nomen ejus sanctum.

Oro Te, ut velis mihi hodie, quidquid contra Te peccavi, pro clementia Tua remittere, et me, adventante nocte, cum omnibus, quae ad me pertinent, protegere.

Domine custodi me; Deus, umbra mea, stans super manum dexteram meam: custodi me ab omni malo; custodi animam meam. Miserere mei, quoniam in te sperat anima mea; spero in Dominum et clamo ad Deum altissimum, qui finiet miserias meas. Ecce non dormitabit, qui custodit me: Ecce non dormitabit, qui custodit Israel. Sustentabis gressus meos in viis rectis, ne declinent pedes mei, neve vestigia mea moveantur. Pedes meos a lapsu

eripiet: quia lucerna pedi meo verbum ipsius, et lumen semitae meae.

Quapropter, si lecto incumbam non timebo, sed suaviter dormiam, neque formidabo subitos terrores, neque turbines impiorum.

O Domine Jesu, eleva super me lucem vultus Tui, ut accubem et in pace pariter dormiam: quia Tu Deus solus confidenter habitare me facis, sub protectione Tua: Tu Domine solus adjuvas me: In nomine Tuo ascendam super lectum strati mei, dabo somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem. Tu, Domine Deus, alacrem me suscitabis, in laudem et gloriam divinae majestatis Tuae, per Jesum Christum, Filium Tuum dilectum, Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti. Amen.

Sabbato.

Laus Tibi sit summo et immortali Deo! Laus sit bonitati, clementiae et misericordiae Tuae! Laus sit aeternae sapientiae et veritati Tuae, qui me hodierno die ab omni detrimento et malo protexisti.

Oro Te, ut velis bonitatem Tuam, cujus in me initium fecisti, clementer perficere, et me hac quoque nocte quiescere sinas sub praesidio tuo altissimo, meque alis Tuis tegere velis. Custodi me, Deus, ut pupillam oculi, in umbra alarum tuarum absconde me; Pater benignissime, in manibus Tuis salus mea est. Adjuva me per bonitatem Tuam,

ne timor et tremor super me veniant, neve noctis timor me operiat.

In die angustiae meae Dominum quaero: manus mea noctu ad eum expensa est, nec quiescit; renuit consolationem anima mea, neque alium auxiliatorem scio, in coelo et in terra, nisi Te solum.

Media nocte surgo et recordor nominis Tui, quod tam suave est, et bonitatis et veritatis Tuae, quam praestitisti mihi, et gratias ago Tibi pro justitia justificationis Tuae. In die tribulationis recordor Dei, et si angustiis adficitur cor meum, loquor de salutari meo. Quoniam eripit animam meam ab interitu, et a laqueis mortis liberat me.

Domine Deus, salutaris meus, et noctes et dies coram Te clamo et invoco Te, ut velis mihi condonare omnes iniquitates meas, quas praeterita septimana et hodie contra Te perpetravi. O Domine, libera animam meam propter misericordiam Tuam: Tu clemens et justus es; et Deus noster miseretur: Custodit simplices Dominus; attenuatus eram, et me servavit.

Propterea gloriabor, exultabo et confitebor Tibi in cubili meo. Itaque commendo in manus Tuas corpus et animam meam; redemisti me, Domine Deus veritatis, per Jesum Christum, Dominum nostrum.

Amen.

Preces pro Confessione.

Adhortatio
ad frequentius confessionem Sacramentalem deponendam.

Sacerdos celebraturus meminerit formidabilis hujus Apostoli comminationis: „Quicunque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini.“ Hinc cum conscientia, aut dubio peccati mortalis ad Altare accedere ne praesumat, quantumvis contritus, „sed prius probet se ipsum per sinceram confessionem, et sic de pane illo edat, et de calice bibat!“ Sanctissima enim Sanctorum sancte sunt tractanda; unde regius Vates quaerens, quis dignus sit, „ascendere in montem Domini, et stare in loco sancto ejus“ Statim subdit: „Innocens manibus et mundo corde.“ Longe potiore jure Sacerdos, ore proprio Verbum Patris aeternum eique consubstantiale, sacramentaliter confecturus, sibique ac aliis Panem Vivum, qui de Caelo descendit, ministraturus, accedat mundatus.

Cum ergo tanta sit humana fragilitas, ut sapiens non vereatur dicere „ipsummet justum septies cadere;“ assuescat Sacerdos, saepius confiteri, ne tandem fiat segnis, amissaque Dei gratia ad deteriora sensim sensimque detrahatur. Nam quid est tristius, quam perditus Sacerdos?? —

Laici delinquentes facile emendantur; Sacerdotum vero rara admodum et difficilis est poenitentia! „Nulla, scribit S. Hieronymus, tam crudelis bestia, quam Sacerdos malus; nam corrigere se non patitur.“ Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Qui erunt homines, per quos a Sacerdotibus error auferatur, cum ipsos delegerit Deus, per quos error auferretur ceterorum? Alto demersus oblivionis somno Sacerdos nullo dominicae comminationis tonitru expergiscitur.

Ne igitur hucusque pervenias calamitatis, quid est remedii melius; quam saepius deponere confessionem sacramentalem, eaque pacem bonae conscientiae tibi parare, pacem, quam mundus dare non potest, pacem Dei, quae „exsuperat omnem sensum“ ut loquitur Apostolus!

Praeparatio ad Confessionem.

Surgam, et ibo ad Patrem meum, et dicam: „Peccavi in coelum, et coram te, jam non sum dignus, vocari filius tuus; fac me sicut unum de poenitentibus tuis, et mitte mihi hodie unicam solummodo micam de mensa infinitae tuae misericordiae; ut peccata mea cognoscere, deflere, dignamque de illis poenitentiam agere possim.“

Luminis petitio.

Benigissime, amabilissime Domine, dignare misericorditer, ut mentis meae tenebras gratia tuae visitationis illumines, affectum voluntatis inflammes, et corrobores, ad cognoscendum, quidquid cogita-

tione et affectu verbis prolatis et auditis, operibus et omissionibus, contra Te, proximum, Parentes, Superiores, aequales, minores, memetipsum peccavi.

Sequitur mentis discussio.

Vide ad Exercitium Vespertinum pag. 313 vel sequens speculum spirituale. —

Imprimis cogita: quare in sacerdotium veneris? — et vide, num vere sis, qui diceris: Sacerdos. —

Si superbiam, jactantiam, vanam gloriam, propriam complacentiam tuae rationi dominari permittis — Sacerdos non es.

Si invidiam, odium, amaritudinem, indignationem a te pro viribus non repellis; si suspiciones temerarias, querimonias pueriles, murmurationes sceleratas non rejicis — Sacerdos non es.

Si, contentioso acrique dissidio inter te et alterum forte exorto, non mox de reconciliatione tractas; et quavis injuria affectus non statim condonas; sed vindictam expetis; aut voluntariam simulationem, minusque sinceram affectionem in corde retines, vel etiam exterius signa non affecti animi ostendis; si etiam eum, qui injuriam intulit, adjuvare differs, quando

necessitas et occasio se offert — Sacerdos non es, Christianus non es; abominabilis coram Deo es.

Si a divino officio et ceteris actionibus sacerdotalibus te libenter subtrahis; si in ipso eodem servitio Dei vigilanter et reverenter non assistis — Sacerdos non es.

Si interioribus tuis neglectis exteriora tantum curas et aridâ quadam consuetudine solum corpus, non autem cor, ad Sacerdotii opera moves — Sacerdos non es.

Si sacris lectionibus, aliisque spiritualibus exercitiis non das diligentem operam: si mentem transitoriis rebus sic impletam vel depressam habes, ut raro ad aeterna assurgas — Sacerdos non es.

Si delicatum superfluumque cibum ac potum exquiris — si pretiosas vestes, mollia strata et quaevis solatia carnis, quae statui tuo minus conveniunt, insipienter requiris; si quietem corporalem diligens, laborem et afflictionem propter Deum subire recusas — Sacerdos non es.

Si solitudinem non sustines, sed otiosis sermonibus, inordinatisque risibus delectaris — Sacerdos non es.

Haec et alia in animo tuo considera ante deponendam confessionem! —

Insuper, si scire vis, an sis speciosus et Deo amabilis, an deformis et Deo odibilis, inspice etiam sequentem effigiem devoti ac veri Sacerdotis.

Verus Dei Sacerdos horas canonicas recitaturus animum colligit, a curis omnibus removet, Deum praesentem spectat, orat nec non ex consuetudine, minus ex dura necessitate, sed pia alacrique voluntate, et statuto tempore, non oculis vagando, non inter preces inaniter loquendo, non praecipitando, non verba mutilando, sed reverenter et graviter psalmorum, orationum, versiculorum sensus suaviter gustando.

Remotae ad Sacrificium praeparationi serviunt animus sibimet assidue invigilans, fervor constans, cauta conversatio, sensuum custodia, passionum refraenatio, ardens in Deum et proximum charitas. Pro dispositione proxima adhibet fervidas ad Deum preces, virtutum praesertim theologicarum nobile exercitium, pia desideria, profundam animi demissionem, et urgentem mysterii saluberrimi famem. In actuali celebratione non est scandalose festinus, nec taediose oblongus, oculos deprimit, mentem elevat, et magna cum reverentia, devotione, et gravitate omnia profert, omnia peragit.

In sacro tribunali zelo flagrat puro, animas quaerit sine ulla personarum acceptione, omnibus

sine discrimine prodest, omnium aequaliter excipit confessiones cum patientia, sive pauperum, sive divitum, sive masculorum, sive puellarum. Caute semper interrogat, nunquam curiose. Mitis ad exemplar Christi Jesu et lenis est in omnes; non redarguit ante tempus, ne confitentem animo dejiciat, et si correctio facienda, vinum oleo miscet, animumque paternum moderatae severitati comitem jungit, ut errantem reducat; non est laxus, nec contra conscientiam connivet cum poenitente, ne et se et illum perdat; non est etiam nimis rigidus, ne peccatorem in desperationem inducat. De auditis in confessione joci aut conversationis causa nunquam etiamsi tuto nomine loquitur in mensa aut colloquiis, et si fortasse consilio eget, non nisi caute et discrete casum doctiori proponit.

Scandala, si sit curatus, quantum in ipso est, e medio gregis tollit, periculis obviat, dissidia componit, aegrotos invisit, egenis succurrit. In Ecclesia multum ipsi curae est juniorum exemplaris modestia, adultorum christiana pietas: hos indefesse exhortatur ad devotam Sacramentorum receptionem, illos impellit ad assiduam doctrinae christianae frequentationem, omnes urget ad cordium unionem et proximi charitatem. Templi nitorem et convenientem ornatum cum Regio Psalmista cordi semper habet, sacrae suppellectilis munditiem ante omnia studiose curat, sordes et inquinamenta neque in animabus sibi creditis, neque in templo suo unquam dissimulat, pacem tamen et concordiam cum suis sollicite ac studiose conservat.

In conversatione non est morosus, non contentiosus, sed gravitati sacerdotali sanctam hilaritatem ita contemperare novit, ut nemini sit taedio. Agens cum confratribus vocationis sublimitati consentanea semper loquitur: modo de verbi divini praedicatione, modo de casuum conscientiae practica resolutione, semper de iis, quibus vel Dei honor promoveatur, vel animarum saluti consulatur, vel animus pie exhilaretur. Agens cum saecularibus in cachinnos non solvitur, ad exteriora non diffunditur, carnem et mundum non sapit ejus conversatio, sed verbum salutis in ore semper gerit loquens de regno Dei. Sensus custodit, in objecta quaevis cum periculo aut scandalo oculos non conjicit; cum mulieribus colloquium ultra necessitatem aut convenientiam non protrahit, quin potius consortia fugit. Cauponas temporis terendi, aut conversationis gratia non adit, in potu nunquam excedit, sed ad obsequium suum diu noctuque proximo praestandum aptum se conservat. Honesto vestitu, religioso incessu, modesta corporis compositione, paterno affectu, sincera suavitate omnes aedificat, omnium animos sibi devincit.

Domesticis suis superbe et dure non imperat, rem domesticam ordine congruo et tempore opportuno curat. Jacturis inordinate non affligitur, sicut nec bono rei domesticae statu inordinate laetatur; temporalibus animo non adhaeret, sed his cum gratiorum actione ad proprias necessitates, ad proximi levamen, ad condecentem templi ornatum fruitur; et dum ita irreprehensibilem se probat Dei servum ac dispensatorem, animo non extollitur, de se demisse

semper sentit, aliós sincere aestimat, capacioribus non invidet, nullius actiones censurat, et neminem contemnit. O formosa, ac ipsis etiam angelis veneranda devoti Sacerdotis imago! —

Actus contritionis ac propositum emendationis.

Utinam te, Domine Deus meus, ex toto corde meo, ex tota anima mea, et ex omnibus viribus meis super omnia (quod opto) diligam! Utinam ipsum Seraphinorum amorem exaequem, in eoque aeternum persistam! Tu scis, Domine, quia amo te, magisque amare cupio: quod millies malim mori, quam in talia . . . peccata relabi. O quam doleo, quod te summum et amabilissimum bonum meum unquam offenderim: Utinam, (quod firmissime tua fretus ope propono) te nunquam vel minimo delicto offendam: Tu enim omni amore, honore et cultu dignus es, cujus sanctissimam voluntatem in omnibus exequi cupio. Amen.

Hic actus fidei, spei, et charitatis elice. vide pag. 291.

Variae orationes Poenitentiales ante Confessionem.

I. Oratio.

Juxta exemplum S. Petri.

Ad te, Domine Jesu, denuo supplex revertor, qui peccando à te toties discessi; quo enim ibo, nisi ad te: si tu me repellis, quis me suscipiet? si tu me condemnas; à quo veniam sperabo? firmissime quidem jam antea statui, servare justificationes tuas, omniaque peccata, potissimum ista, vitare; sed eheu! instabilis factus sum, et concupiscentiae illecebris seductus, te iterum dereliqui. Peccavi, quid faciam, quo me convertam miser, nisi ad te, in quo est salus, vita, et resurrectio nostra? Respice in me, Domine Jesu, quemadmodum in Petrum respexisti, et miserere mei. Utinam dolorem cordis mei tot lacrymis, quot ille, contestari possim. In tua misericordia, mi Jesu, quae major est, quam mea iniquitas, spem omnem pono. Plus tu potes dimittere, quam ego committere. Ne projicias me à facie tua. Dic animae meae „Salus tua ego sum.“ Ps. 34. 4.

II. Oratio.

Juxta exemplum Latronis in Cruce.

Sero ad te venio, ô Jesu crucifixe! tempus est, ut me tibi conciliem; quot enim juvenes, neque ac

senes mors interea abstulit, dum ego peccatis indulsi? an non et ego unà cum illis è medio tolli aeternumque damnari potuissem? quid te, mi Jesu, movit, ut mihi prae aliis parceres, nisi bonitas tua infinita? ne ergo me, quaeso, nunc à te repellas, nemo unquam seriò poenitens ad te serò nimis venit. Latroni in cruce ultimo vitae articulo condonasti, quidquid omnibus vitae suae annis peccavit, eodemque illum die in Paradisum recepisti. Per insigne hoc tuae misericordiae et clementiae opus, te supplex cum eodem latrone (utinam pari amoris et doloris affectu) oro, ô Jesu Nazarene, miserere mei, et in tuam, licet indignum me, gratiam recipe. Fateor amarissimae tuae Passionis et Crucis causam esse delicta mea, quae proinde ex animo nunc detestor cum firmissimo proposito, ea me deinceps cum tua gratia nunquam repetiturum. Miserere mei, ô Jesu, miserere mei, **Misereris omnium propter poenitentiam.** Sap. 11. 24.

III. Oratio.

Juxta parabolam Ovis perditae. Luc. 15.

Erravi, sicut ovis, quae periit; Pastor bone, pie Jesu, quaere servum tuum, et reduc me in viam mandatorum tuorum. Tu enim dixisti: Visitabo oves meas: quod perierat, requiram, et quod abjectum erat, reducam, quod confractum, alligabo, et quod infirmum, consolidabo. Aspice vulnera peccatorum meorum, quorum non est numerus, et sana ea.

Tuis me humeris licet indignum excipe, et adduc ad gregem electorum tuorum: Ibi Misericordias Domini in aeternum cantabo. Ps. 88. 2.

IV. Oratio.

Juxta parabolam incidentis in Latrones. Luc. 10.

Me miserum! qui ab Jerusalem in Jericho descendi: qui loco verae pacis deserto, fallaces mundi et carnis delectationes sectatus sum, et in manus infernalium latronum incidi, a quibus innocentiae veste spoliatus, et ad mortem animae miserando spectaculo vulneratus sum! Propitios in me oculos converte, ô pie Samaritane, et miserere mei in sanguine peccatorum meorum volutantis. Non est, qui possit aut velit misero mihi in hoc statu salutarem praebere manum, prater te, Domine Jesu; in te solo omnes vitae spes est posita; tu unicus es animae meae medicus, huic, obsecro, amoris tui vinum et misericordiae oleum infunde, et induc eam in vulnus sacratissimi Lateris tui. Haec requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo, qnoniam Elegi Eam. Ps. 131. 14.

Oratio ad B. Virg.

pro impetranda ejus intercessione peccatorum venia.

Ave Maria, coeli terraeque Regina, quae à Deo in Matrem es electa ante omnia saecula. Tu es

illa Mulier, amicta sole, de qua Dominus noster Jesus Christus, ut genus humanum redimeret, carnem voluit assumere. Per te coelum terrae jungitur, et summa imis cumulantur. Tu es dux vitae nostrae: Tu porta divinae gratiae: Tu es securus hujus procellosi mundi portus: Tu laetitia coeli, tu exultatio terrae, tu peccatorum tutissimum asylum, tu certissimum praesidium omnium te invocantium. Ego tali animatus fiduciâ, ad te venio, ne averseris miserum, ô misericordiae Mater! qui misericordià tuâ fretus de miserorum numero in filiorum tuorum sortem transire cupio. Fateor quidem, me saepe ac graviter dilectissimum Filium tuum peccatis meis offendisse, atque idcircò et ipsius, et tuâ gratiâ indignum esse; sed ex intimo corde nunc doleo, quod summum illud Bonum, Dominum ac Redemptorem meum Jesum Christum, quem super omnia amo, unquam offenderim, et coram te, ejusdem dilectissima Matre, emendationem et satisfactionem polliceor. Obsecro itaque te, Domina, ut mihi veniam peccatorum meorum gratiamque impetres; tuae enim est pietatis, Virgo benedicta, ipsam, quam apud Deum invenisti gratiam, notam facere mundo. Amen.

Septem Psalmi Poenitentiales.

Antiphona. Ne reminiscaris.

Psalmus VI.

Poenitens enixe et fidenter deprecatur.

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu, Domine, usquequo?

Convertere, Domine, et eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omne- inimici mei: convertantur et erubescant valde ves lociter.

Gloria Patri. Sicut erat.

Psalmus XXXI.

Misericordia Dei justificantis.

Beati, quorum remissae sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: et in justitiam meam non abscondidi.

Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me: exultatio mea erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus: quibus non est intellectus.

In camo et fraeno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Laetamini in Domino, et exultate justi: et gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri. Sicut erat.

Psalmus XXXVII.

Peccator infelicitatem suam exponit.

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi: et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum: et sicut onus grave gravatae sunt super me.

Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae: a facie insipientiae meae.

Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei et proximi mei: adversum me appropinquaverunt et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt: et vim faciebant, qui quaerebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam: et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens: et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speravi, tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei: et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum! et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus: ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum: Domine Deus salutis meae.

Gloria Patri. Sicut erat.

Psalmus L.

Animae vere poenitentis oratio.

Miserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas, cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae; et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion: ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae oblationes et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri. Sicut erat.

Psalmus CI.

Oratio anxii effusa in conspectu Dei.

Domine, exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te: velociter exaudi me.

Quia defecerunt, sicut fumus, dies mei: et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut, foenum, aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhaesit os meum carni meae.

Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: et qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam: et potum meum cum fletu miscebam.

A facie irae et indignationis tuae: quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt: et ego sicut foenum arui.

Tu autem, Domine, in aeternum permanes: et memoriale tuum in generationem et generationem.

Tu exsurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: et terrae ejus miserebuntur.

Et timebunt Gentes nomen tuum, Domine: et omnes reges terrae gloriam tuam.

Quia aedificavit Dominus Sion: et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: et non sprevit precem eorum.

Scribantur haec in generatione altera: et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de coelo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum: ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini: et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum: et reges, ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suae: Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem et generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt coeli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt: et semen eorum in saeculum dirigetur.

Gloria Patri. Sicut erat.

Psalmus CXXIX.

Clamor iniquitatem fatentis, misericordiam sperantis.

De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri. Sicut erat.

Psalmus CXLII.

Peccatum agnoscens, misericordiam rogat.

Domine, exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris, sicut mortuos saeculi: et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me, Domine: defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum, Domine, vivificabis me, in aequitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri. Sicut erat.

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Preces post Confessionem.

Oratio.

Gratias ago tibi, Domine Pater, et Dux vitae meae, quia non secundum peccata mea fecisti mihi, sed superexaltasti misericordiam judicio, et projecisti in profundum maris omnia delicta mea. Atque utinam possem tantam in me contritionem excitare, quantam habuerunt pro peccatis suis sanctus Propheta David, vir secundum cor tuum, S. Petrus, princeps Apostolorum, ac reliqui poenitentes: quam libenter totus in lacrymas diffluerem, donec lavarentur iniquitates meae, et ostenderes mihi placatum vultum tuum! Sed facta est anima mea, sicut terra sine aqua tibi, et aruit sicut testa, virtus mea: cumque omni virtute destitutus sim, hoc solum habeo residui, ut oculos meos extollam ad Redemptorem meum, ejusque lacrymas offeram tibi, quas ille pro me uberrime effudit, ut iis placatus aperias mihi januas misericordiae tuae, et suscipias me servum fugitivum venientem ad te, et ab inimicis fugientem. Respice in me, et miserere mei, Domine patiens et misericors, loquere ad durum cor meum, et percute me virga virtutis tuae, ut fluant aquae compunctionis, aquae salutares, quibus sanabitur et dealbabitur anima mea. Confirma hoc, quod opera-

tus es in me, tibique grata et accepta sit confessio mea, atque omnem ejus defectum suppleat pietas et misericordia tua. Misericordiam tuam imploro, et veniam postulo cum inviolabili proposito deinceps non peccandi, et studio virtutum sedulo incumbendi, te mihi vires subministrante, qui non deseris sperantes in te. Ne patiaris diutius me vagari post vanitatem vitae hujus; transeunt enim dies et anni, et ecce nihil proficio. Convertere ergo, et deprecabilis esto super me indignissimum servum tuum, et noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum: nam si ego commisi, unde me damnare possis, tu non omisisti, unde me salves et recipias in gratiam tuam, Deus meus, adjutor meus, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Gratiarum actio post Confessionem.

Juxta exemplum Leprosi. Luc. 17.

Ad te, ò benignissime Jesu, revertor, et gratias ago, quòd à foedissima peccatorum meorum lepra mundare me dignatus fueris. Sit nomen tuum, ô Jesu, benedictum in saecula. Vere tu Jesus, hoc est, Salvator es, qui neminem à te quemlibet flagitiosum repellis, qui omnes serio poenitentes in gratiam recipis, et numero filiorum tuorum adscribis. Misericordiae tuae viscera, ô Jesu, agnosco et amplector: meque totum servitio tuo deinceps addico.

djuva, obsecro, imbecillitatem meam, ut nunquam
ujus tui mihi praestiti beneficii oblitus amore ullius
electationis, aut praeposteri affectus impulsu, in
riora peccata relabar, meque à te separem. Cor
t animam meam dilectionis tuae brachiis ita tecum
onstringe, ut dicere cum Apostolo audeam: „Quis
ie separabit a charitate Christi.“ Rom. 8. 35.

llia praeclara Gratiarum Actio post Confessionem, per Psalmum 102.

1. Benedic anima mea Domino: et omnia, quae ntra me sunt, nomini sancto ejus.

2. Benedic anima mea Domino: et noli oblivisci mnes retributiones ejus.

3. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

4. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui oronat te in misericordia et miserationibus.

5. Qui replet in bonis desiderium tuum: renoabitur, ut aquilae, juventus tua.

6. Faciens misericordias Dominus, et judicium mnibus injuriam patientibus:

7. Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israël oluntates suas.

8. Miserator, et misericors Dominus: longaninis et multum misericors.

9. Non in perpetuum irascetur: neque in aeternum comminabitur.

10. Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

11. Quoniam secundum altitudinem coeli à terra; corroboravit misericordiam suam super timentes se.

12. Quantum distat ortus ab occidente: longé fecit à nobis iniquitates nostras.

13. Quomodo miseretur pater filiorum, miseratus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

14. Recordatus est, quoniam pulvis sumus, homo, sicut foenum dies ejus, tanquam flos agri, sic efflorebit.

15. Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet: et non cognoscet amplius locum suum.

16. Misericordia autem Domini ab aeterno, et usque in aeternum super timentes eum.

17. Et justitia illius in filios filiorum, his, qui servant testamentum ejus. Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.

18. Dominus in coelo paravit sedem suam: et regnum ipsius omnibus dominabitur.

19. Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonis ejus.

20. Benedicite Domino omnes virtutes ejus: ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

21. Benedicite Domino omnia opera ejus: in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.

Gloria Patri, etc.

Anima Christi, sanctifica me,
Corpus Christi, salva me,
Sanguis Christi, inebria me,
Aqua lateris Christi, lava me,
Passio Christi, conforta me,
O bone Jesu! exaudi me.

Intra vulnera tua absconde me,
Ne permittas me separari a te,
Ab hoste maligno defende me,
In hora mortis meae voca me,
Et jube me venire ad te,
Ut cum sanctis tuis laudem te,
In saecula saeculorum.
Amen.

Brevis commendatio passionis Christi.

(Ex S. August.)

Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati, et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, Cruci clavis affigi, in Cruce levari, inter latrones deputari,

felle et aceto potari, lancea vulnerari; Tu, Domine, per has sanctissimas poenas, quas ego indignus recolo, et per S. Crucem et Mortem Tuam libera me a poenis inferni, et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

Amen.

Preces

pro salute Ecclesiae

et

pro omnibus vivis ac defunctis.

Admonitio

pro quibus orare debeamus.

Oremus pro Sancta, Catholica et Apostolica Ecclesia, diffusa finibus usque in fines, ut Dominus immobilem et tranquillam eam custodiat atque conservet usque ad consummationem saeculi fundatam supra firmam petram.

Et pro sancta Paroecia hujus loci oremus, ut concedat nobis cunctorum Dominus, coelestem ejus spem perfecte persequi, et debitam orationis virtutem sine intermissione impendere.

Pro universo Ecclesiae coetu rogemus, ut Dominus omnes conservet atque custodiat. Pro regibus et pro iis, qui sunt in sublimitate constituti, oremus, ut in pace per ipsos vivamus, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate ac sanctitate.

Pro omni Episcopatu, qui est sub Coelo, recte tractante Verbum veritatis, orate.

Pro Episcopo et Paroeciis ipsius orate, ut misericordiam Deus concedat suis Ecclesiis.

Pro Presbyteris orate, ut Dominus eripiat eos ab omni re incommoda et mala, salvum et honorabile Presbyterium eis praebeat.

Pro infirmis fratribus nostris orate, ut Dominus liberet eos ab omni aegritudine et imbecillitate, et salvos restituat sanctae ipsius Ecclesiae.

Pro oppressis amara servitute, pro iis, qui sunt in metallis, exilio, custodia et vinculis, propter nomen Domini orate.

Pro nuper illuminatis fratribus nostris orate, ut Dominus stabiliat eos et confirmet.

Pro iis, qui extra sunt, et in errore versantur, orate, ut Dominus illos convertat.

Pro inimicis et persequentibus nos propter nomen Domini oremus, ut Dominus mitigato illorum furore, dissipet iram conceptam contra nos.

Pro navigantibus et viatoribus, pro salubritate aëris et fructuum maturitate rogemus.

Sanctorum Martyrum memoriam colamus, ut digni efficiamur certamine ipsorum.

Pro omnibus animis Christianis, pro iis, qui in fide quieverunt, oremus.

Pro nobis mutuo oremus, ut Dominus servet nos, et gratia sua custodiat usque ad finem, et liberet nos a malo, atque ab omnibus scandalis operantibus iniquitatem, et salvet in coeleste regnum ipsius.

Excitemus nos orantes intente, et mutuo nosmet commendemus Deo, ut et universi aliquando congregati simus ad sedem ejus supra coelos fulgentem. — Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Tuum etc. Amen.

Pro Ecclesia Catholica.

Domine Ecclesiam tuam, quam aedificasti tibi, misericordia tua benigne protege. Tu enim, Domine, solus misericors es, solus pius, solus Salvator et justus, qui es radix immortalitatis, et fons incorruptionis, consortium nobis hujus communionis sanctifica.

Deus, qui solus es Salvator, qui hanc plebem per gloriosam Filii tui Passionem acquirere dignatus es in libertatem: et obedientem tuis praeceptis, et abundantem in tuis bonis operibus, semper, quaeso, Domine custodire digneris.

Exaudi supplices servi tui preces, et dirige hanc plebem tuam tibi dicatam, legibusque tuis servientem; quem adoptivum tibi populum elegisti, insuper et filios vocare dignatus es.

Dirige, inquam, in praeceptis tuis diebus ac noctibus gradientem, per benedictum Unigenitum Filium tuum, qui nos elegit esse discipulos, et ovium tuarum Pastores esse constituit, qui tecum, Pater, vivit, dominatur, et regnat cum Sancto Spiritu, in saecula saeculorum. Amen.

Pro Ecclesia Catholica afflicta.

Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terra Aegypti in manu forti, et fecisti tibi Nomen secundum diem hanc; peccavimus, iniquitatem fecimus, Domine, in omnem justitiam tuam. Avertatur, obsecro, ira tua, et furor tuus a civitate tua

Hierusalem, et a monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra, et iniquitates patrum nostrorum, Hierusalem et populus tuus opprobrio sunt omnibus per circuitum nostrum.

Nunc ergo exaudi, Deus noster, orationem servi tui, et preces ejus, et ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est. Propter temetipsum inclina Deus aurem tuam et audi. Aperi oculos nostros, et vide desolationem nostram et civitatem, super quam invocatum est Nomen tuum. Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.

Exaudi Domine, placare Domine, attende et fac. Ne moreris propter temetipsum, Deus meus, quia nomen tuum invocatum est super Civitatem et super Populum tuum.

Pro iis, qui aberrant ab Ecclesia Catholica.

Omnipotens, misericors, benigne Deus ac Pater, te humiles ex toto corde oramus, ut omnes eos, qui ab orthodoxa, Christiana, Catholica, vera et pura Fide recesserunt, et divortium fecerunt, aut in aliis, quae ad fidem pertinent, errant, et falsa persuasione sunt impliciti aut seducti, paterne visites, numinis tui radiis corda ipsorum illustres, ipsosque revoces ac reducas ad erroris sui agnitionem, ut sic reversi, unicam, veram, Catholicam, et Christianam

Fidem cum universa Ecclesia et communione ad ipsorum salutem perpetuo retineant, ore profiteantur, et factis ipsis demonstrent, ut te unum Pastorem unanimes in uno ovili audiamus et sequamur. Per Jesum Christum Salvatorem. Amen.

Pro Romano Pontifice.

Domine Jesu Christe, qui es aeterna Dei Patris Coelestis Sapientia, qui per te omnia creavit, ut cum ipso in unitate Spiritus sancti sis caput nostrum unicum, qui etiam Petrum inter omnes Apostolos in unicum Pastorem ovium tuarum, et post ipsum unumquemque electum Pontificem tuum Vicarium habere voluisti, cum quo omnes, qui sunt ubique, christianos uniri oportet:

Oro te suppliciter, ut illum ad Populi tui gubernationem, Ecclesiaeque tuae utilitatem, salvum et incolumem tua gratia et bonitate conserves, ut sub ipso in recta, sincera, ac vera fide et religione gubernemur, et in fidei meritis crescamus in dies ac adolescamus. Amen.

Pro loci alicujus Episcopo.

Domine Deus, omnipotens Pater misericordiarum et Deus consolationis, qui a principio ad gubernationem populi tui Sacerdotes designasti: Abel inprimis, Seth, Enos, Enoch, Noë, Melchisedech;

Qui Abraham et reliquos Patriarchas cum fidelibus servis tuis, Mose, Aarone, Eleazaro, Phinees instituisti: qui ex ipsis Principes et Sacerdotes in arca testimonii constituisti: qui Samuelem Sacerdotem et Prophetam elegisti: qui Sanctuarium tuum sine ministerio non reliquisti: qui in iis, quos elegisti, glorificari voluisti:

Da huic servo tuo, quem elegisti Episcopum, pascere sanctum gregem tuum, et fungi Pontificatu sine reprehensione, congregare numerum eorum, qui salvantur, et offerre tibi dona Ecclesiae tuae sanctae.

Pro Magistratu Ecclesiastico seu Spirituali.

Omnipotens aeterne Deus et Domine dominantium, qui nobis in Ecclesiae tuae aedificationem, gubernationem et in unitate fidei conservationem certos praesules et animarum curatores praefecisti, atque in iis summum illum Sacerdotem, et totius Christiani orbis Pastorem S. Petrum cum suis in s. sede Romana successoribus:

Concede iis, quaesumus, cum universo ordine ac statu Ecclesiastico, efficacem tuam gratiam, ut ad tuam ipsius gloriam nostramque salutem, nostras probe animas pascant, officium suum tum verbis, quum exemplis recte exequantur, Religionem Christianam ab erroribus emundent, sectas et conventicula disturbent, abusum tollant, veritatem autem Catholicam sedulo promoveant: ut sub iis pacifice, unanimiter, et pie, instar electarum ovium

possimus vivere. Per Jesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, cui una tecum et Spiritu sancto, sit laus, honor et gloria, per infinita saeculorum saecula. Amen.

Pro quovis Sacerdote vel Monacho.

Deus, qui non vis mortem peccatoris, sed per poenitentiam et emendationem vitam semper inquiris, te suppliciter deprecamur, ut huic famulo tuo N. saecularibus actibus renuncianti, large tuae pietatis gratiam infundere digneris, quatenus castris tuis insertus, ita tibi militando, statum vitae praesentis percurrere valeat, ut praemium aeternae remunerationis te donante percipiat. Per Christum etc. Amen.

Pro sacrarum Virginum Antistita.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus famulae tuae N. ut exercendo, quae recta sunt, exemplo bonorum operum animas suarum instruat subditarum, et aeternae remunerationis mercedem a te piissimo Pastore percipiat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Precatio pro Virginibus sacratis et religiosis.

Deus, plasmator corporum, afflator animarum, qui nunquam spernis aetatem, non sexum reprobas, non ullam conditionem gratia tua ducis indignam, sed omnium Creator es et Redemptor: tu has famulas tuas, quas ex omni numero gregis Pastor bonus eligere atque ad conservandam coronam perpetuae Virginitatis conservare dignatus es, tuae protectionis scuto circumtege, ut quas ad omne opus virtutis et gloriae magistra sapientia praeparasti, et vincentes carnis illecebras, et licita connubia recusantes, insolubilem Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, copulam mereantur.

His, petimus Domine, arma suggeras non carnalia, sed spiritus virtute potentia, ut te muniente earum sensus et membra, in earum corpore non possit dominari peccatum, atque sub tua Gratia vivere cupientibus nihil sibi defensor malorum et inimicus bonorum de his vasis Nomini tuo consecratis praevaleat vindicare.

Omnem etiam naturalem calorem imber gratiae tuae coelestis exstinguat, lumen vero perpetuae castitatis accendat. Facies scandalis pudica ne pateat, neu incautis occasionem praebeat negligentia delinquendi, sitque in eis cauta Virginitas et ornata pariter et armata Fide integra, et Spe certa, et Charitate sincera, ut praeparatis animis ad continentiam virtus tanta praestetur, quae superet Diaboli

universa figmenta, atque contemnendo praesentia, futura sectentur.

Jejunia epulis carnalibus praeferant, et lectiones sacras conviviis et potationibus anteponant, ut orationibus pastae, et eruditionibus expletae, illuminatae vigiliis, opus gratiae Virginalis exerceant. His virtutum armis has famulas tuas interius exteriusque communiens, praesta inoffensum cursum Virginitatis, ut hunc implere per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, Redemptorem animarum nostrarum, valeant, cum quo est Deo Patri honor et gloria in Spiritu sancto et nunc et semper, et per saecula saeculorum. Amen.

Pro rege Catholico.

Respice, quaesumus, Domine, ad preces humilitatis nostrae, et super hunc Famulum tuum N. benedictionum tuarum dona multiplica, eumque dextera Potentiae tuae semper hic et ubique circumda, quatenus Abrahae fidelitate, Moysis mansuetudine fretus, David humilitate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, tibi in omnibus complaceat: et per tramitem justitiae inoffenso gressu semper incedat.

Tuae quoque protectionis galea munitus, et scuto insuperabili jugiter protectus, armisque coelestibus circumdatus, optabilem de hostibus crucis Christi victoriam fideliter obtineat, et triumphum fe-

liciter capiat, terroremque suae potentiae illis inferat, et pacem tibi militantibus laetanter reportet. Per Christum Dominum nostrum.

Pro Magistratu Saeculari.

Omnipotens, aeterne Deus, Rex omnium Regum, qui ipse Magistratus instituisti, eisque gladium ad supplicium malorum et bonorum defensionem commisisti: Te supplices oramus, ut Principes et Rectores omnes saeculares in viis tuis dirigere digneris, ut in pacata gubernatione perseverent: bella ac seditiones a nobis avertant, omniaque ad communem tranquilitatem, justitiam et honestatem conducentia inquirant.

Ad haec, o Domine exercituum, largire ipsis benedictionem divinam, justitiam Mosis, zelum Phinees, mansuetudinem Davidis, sapientiam Salomonis, et Samsonis fortitudinem. Redde et conserva eos in bono stabiles, in adversitatibus fortes, in rebus afflictis hilares, in tristibus tuo erectos solatio, in solicitudine circumspectos, in tentatione victoriosos, in prosperitate constantes: ac denique in rebus omnibus seu agendis, seu omittendis, prudentes, fortes, et felices: ut eorum administratio cedat in omnis oppressionem Tyrannidis, in saeculi praesentis pacem et tranquillitatem, in regni felicitatem, in defensionem totius Religionis Christianae, praecipue vero ad sanctissimi tui nominis honorem et perpetuam laudem. Per Jesum Christum etc. etc.

Pro Poenitentibus ac Resipiscentibus.

Omnipotens, aeterne Deus, cunctorum Domine, Creator, et Gubernator universi, qui hominem in mundo ornatum posuisti per Christum, et dedisti ei legem naturalem et scriptam, ut vivendi normam haberet, uti rationis compotem semper se gereret, et si in aliquo peccaret, fundamentum poenitentiae tradidisti ei bonitatem tuam:

Respice super inclinantes tibi colla animae et corporis, quoniam tu non vis mortem peccatoris, sed poenitentiam, ut revertatur a via sua mala et vivat; qui Ninivitarum Poenitentiam admisisti, qui vis omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, qui filium, qui suas facultates luxuriose consumpserat, paterno affectu recepisti per Poenitentiam.

Respice nunc quoque supplicantium tibi poenitentiam, quoniam non est, qui non peccet in te. Si enim iniquitates observaveris Domine, Domine, quis substinebit? Quoniam apud te est redemptio, et reduc eos in sanctam tuam Ecclesiam, restituta illis priori dignitate et honore, Per Christum Deum et Salvatorem nostrum, per quem tibi Gloria et Adoratio in sancto Spiritu in saecula, Amen.

Pro afflictis et aerumnosis.

Omnipotens, aeterne ac misericors Deus, qui es salvator omnium hominum, maxime fidelium, ac preces pro omnibus hominibus fieri mandasti per

Apostolum: oro Te pro omnibus afflictis atque aerumnosis, ut consolatione gratiae Tuae, illos fulcias atque auxilio potentiae Tuae illis subvenias. Indue illos coelesti virtute ac robore, quorum ossa tristitiae ignis exsiccat; refrigerium coelestis Tuae consolationis erigat eos: sustenta omnes corruentes, et erige omnes incurvatos. Aegrotis concede propitius, ut morbus corporis ipsis sit medicina spiritualis, et carnis adversa sint illis animae remedia: agnoscant, morbos esse pedisequos peccati, prodromos autem lethi. Da illis robur fidei ac patientiae, o animarum et corporum Medice verissime: restitue eos pristinae sanitati, modo commodum sit sempiternae ipsorum saluti.

Orphanos omni auxilio destitutos ale, viduas omnium opprobrio subjectas defende, qui Te ipsum appellasti orphanorum benignissimum patrem, ac viduarum justissimum vindicem. Viduarum lacrymae, quae per genas defluunt, nubes perrumpant, nec conquiescant, donec ad solium Tuum veniant. Exaudi illos, qui in maris periculis constituti ad Te clamant, et naufragio proximi seriis gemitibus ad Te suspirant. Redde captivis libertatem, ut grato corde Tuam praedicent benignitatem. Confirma illos, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, ut de omnibus inimicis suis reportent victoriam et aeternam Martyrum acquirant coronam. Adsis omnibus, quotquot in periculis et calamitatibus constituti sunt, ut in vera patientia animas suas possideant, ac voluntatem propriam abnegantes crucem suam tollant. Sequantur eum sub cruce, in quem credunt pro

nobis mortuum in cruce. Imprimis vero, benignissime Pater, illos Tibi commendo servandos, qui circa portas mortis constituti, inter tempus ac aeternitatem versantur: confirma eos, o mortis victor potentissime: libera eos, o vitae dux gloriosissime, ne tentationum fluctibus obruantur, sed ad portum aeternae tranquillitatis perducantur. Miserere omnium hominum, qui es creator omnium: miserere omnium, qui es Redemptor omnium; Tibi laus et gloria in sempiterna saecula. Amen.

Pro Parentibus.

Domine Deus, qui secundum te patrem et matrem honorare, pro eorum incolumitate, vita et fortunis orare stricte praecepisti, da parentibus meis omnibusque nostris domesticis salutem et pacem. Conserva eos in fidei tuae pietate, custodi eos ab omni corporis animaeque incommodo. Largire gratiam, ne unquam in ulla re te offendant, sed propitium te semper Patrem et Deum experiantur. Amen.

Pro amicis devotis.

Domine Deus, Pater omnium hominum: dedisti mihi veros amicos, qui me quavis calamitate laborantem consilio manuque adjuvant, vitamque mihi jucundiorem reddunt: gratias ago Tibi quam maxi-

mas pro hac Tua benignitate, ac oro Te, ut hos bonos homines defendas ab omni malo, adsisque iis in omnibus rebus cum gratia Tua, et longam vitam sanitatemque bonam praebeas, atque, quod maximum est, in virtute eos confirmes.

Quum jusseris, etiam inimicos amari a nobis, qui possim oblivisci, orare pro amicis? Itaque grata Tibi sit haec mea precatio, et concede, sicuti nunc in terra amore sumus conjuncti, ut aliquando etiam in Coelo Tuo simus conjuncti vinculo illius ineffabilis beatitudinis, quam justis promisisti hominibus. Per Dominum nostrum, Jesum Christum etc. etc.

Amen.

Pro adversariis aut inimicis nostris.

Jussisti, mitissime Pater, nos te pro iis orare, qui nobis male cupiunt et quatenus possunt male faciunt. Idque tu, non verbis solum, sed factis etiam tuis sanxisti, ad imitationem nobis propositis.

Oramus te, ut spiritum nobis infundas tuae mansuetudinis, quo inimicorum et malevolentiam, et maledicentiam et maleficia patienter toleremus, sicuti et fecisse te accepimus, et quotidie facere animadvertimus. Nec opere reponamus injuriam, nec verbis ultionem usurpemus, nec optemus animo: ut vere filii tui simus, qui pluis super justos et injustos, et qui Patrem pro iis, qui te crucifigebant, exorasti in Cruce.

Ne perdas illos, Domine, propter odium nostri, sed serva potius propter preces nostras. Emendationem illorum cupimus Domine, non perditionem. Fac ut hic per amorem mutuum conjuncti incipiamus concordes ingredi viam, quae ducit ad civitatem coelestem, in qua perpetuo nobis invicem fruamur in caritate tua. Amen.

Pro captivis.

Domine Jesu, qui omnes homines gravissimis peccatorum vinculis captos pretiosissimo sanguine Tuo redemisti, libera, quaesumus, omnes, qui propter nomen Tuum sanctum et benedictum in vinculis tenentur, a manibus iniquorum; iis autem, qui ob peccata sua detinentur, vincula peccatorum resolve, ut mente libera te cognoscant, te diligant, te sequantur. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Pro infirmo.

Deus misericors, Deus clemens, Deus, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata poenitentium deles, et praeteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas, respice propitius super hunc famulum N. et remissionem sibi omnium pec-

catorum suorum tota cordis confessione poscentem, deprecatus exaudi.

Renova in eo, piissime Pater, quicquid terrena fragilitate corruptum, vel quicquid diabolica fraude violatum est, et unitati corporis Ecclesiae membrum redemptionis annecte. Miserere Domine gemituum, miserere lachrymarum ejus, et non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad tuae Sacramentum reconciliationis admitte, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio Ecclesiae pro infirmo, qui vicinus morti esse videtur.

Omnipotens et misericors Deus, qui humano generi, et salutis remedia, et vitae aeternae munera contulisti: respice propitius famulum tuum N. infirmitate corporis laborantem, et animam refove, quam creasti: ut in hora exitus illius absque peccati macula tibi creatori suo per manus sanctorum Angelorum repraesentari mereatur. Per Dominum etc. etc.

Precatio pro Coetu Populi Christiani.

O Pater clementissime, patere te semel exorari, vincat te pietas tua, moveat te calamitas nostra; illa, obsecro te, cogat, misereri nostri charitas, quae

te coëgit, ut Filium tuum unigenitum traderes in manus peccatorum crucifigendum pro nobis impiis, blasphemis, idololatris. Quid ergo nunc facies, Pater clementissime, pro filiis tuis, inter quos tot sunt myriades, quae non curvaverunt genua sua ante Baal?

Haec, inquam, immensa tua te vincat pietas, moveat te calamitas nostra, plaga nostra, plaga crudelis, qua percussisti nos, et non doluimus, neque paternis istis tuis flagellis, tam ingentibus, tam multis, tam diuturnis, fame, bello, et peste, tanto fratrum nostrorum pernicioso schismate admoniti resipuimus, aut ad te reversi sumus, sed filiorum adulterinorum more, ejusdem paternis flagellis magis exacerbati, te ad iram provocavimus, atque cum Sodoma et Gomorra, peccata nostra praedicare non erubuimus, neque in hunc usque diem jactare desistimus. Interea non fuit, qui sese tuo furori opponeret medium, qui manum tuam illa omnia operantem, et adhuc super nos extentam reprimeret.

Propter temetipsum igitur, Pater clementissime, miserere tandem gregis tui miserrimi, ac ei dare digneris pastores secundum cor tuum, qui illum pascant in veritate et judicio: qui cogitent ex animo de gravissimis irae tuae in nos justissime saevientis causis semel excindendis, de collapso David tabernaculo erigendo, de confractis ejus instaurandis, de ruinis tempestive fulciendis, de reliquiis tandem colligendis, de oviculis precioso Sanguine Filii tui redemptis, non solum nunc dispersis, dissipatis, atque errantibus, sed dirum etiam in modum

dilaniatis, indignissime vexatis, atque excarnificatis, ac tantum non devoratis, tandem semel revocandis, congregandis, pascendis, sanandis, et vivificandis, atque in coelestes illas caulas simul reducendis.

Memento igitur nostri, Domine, in beneplacito Populi tui. Visita nos in salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad laetandum in laetitia gentis tuae, ut lauderis cum haereditate tua.

Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus, propter Nomen tuum, Domine, miserere nostri. Exsurge, quare obdormis Domine, exsurge, et ne repellas in finem. Illa obsecro te, o Pater clementissime, cogat pietas nostri misereri, qua promisisti, etiam si mater filiorum uteri sui obliviscatur, ut non misereatur eorum, te non oblitúrum Ecclesiae tuae.

Respice nunc tandem paupercúlam tempestate convulsam, atque absque consolatione. Memineris illius secundum dies antiquos, excita in ea verbi tui fidos ministros, qui eodem spiritu, quo pridem Apostoli, non sua, sed quae Christi, quaerentes, reaedificent diruta Jacob, Filiique tui haereditatem dissipatam nunc colligant, instaurent, innovent, atque in pristinam restituant pietatis Evangelicae faciem. Patere, o clementissime Pater, te semel exorari, et respice propitius super hanc familiam, pro qua Dominus noster, Jesus Christus, non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Precationes pro defunctis.

Admonitio.

(Clemens I. Pont.)

Pro quiescentibus in Christo, fratres nostri, rogemus, ut benignus Deus, qui ipsius animam suscepit, dimittat ei omne delictum voluntarium et involuntarium, et propitius illi factus collocet eum in regione Piorum et Beatorum, in sinu Abrahae, Isaac et Jacob, cum omnibus, qui a saeculo placuerunt illi, et fecerunt voluntatem ipsius, unde abest dolor, tristitia, et suspirium. Amen.

Litania pro fidelibus defunctis.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere omnium fidelium defunctorum.
Fili, Redemptor mundi Deus, miserere omnium etc.
Spiritus sancte Deus, miserere omnium etc.
Sancta Trinitas, unus Deus, miserere omnium etc.

Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Sancte Michael,
Omnes sancti Angeli et Archangeli,
Sancte Joannes Baptista,
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Joannes,
Omnes sancti Apostoli, et Evangelistae,
Sancte Stephane,
Sancte Laurenti,
Omnes sancti Martyres,
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Omnes sancti Pontifices et Confessores,
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Catharina,
Omnes sanctae Virgines et Viduae.
Omnes Sancti et Sanctae Dei,

} Ora s. orate pro Fidelibus defunctis!

Propitius, parce eis, Domine.
Propitius esto, Exaudi eos Domine.
Ab omni malo,
Ab ira tua,
A potestate diaboli,
A flamma ignis,
A regione umbrae mortis,
Per immaculatam Conceptionem tuam,
Per Nativitatem tuam,
Per dulcissimum Nomen tuum,
Per multitudinem miserationum tuarum,

} Libera eos, Domine!

Per acerbissimam Passionem tuam,
Per sanctissima Vulnera tua,
Per pretiosissimum Sanguinem tuum,
Per ignominiosissimam mortem, qua nostram moriendo destruxisti,

Libera eos Domine!

Peccatores,
Qui Mariam absolvisti, et latronem exaudisti,
Qui salvandos salvas gratis,
Ut parentes, propinquos, et benefactores nostros a poenis inferni eripere digneris,
Ut omnes fideles defunctos ab aeterna damnatione liberare digneris,
Ut desiderium ipsorum adimplere digneris,
Ut omnium Fidelium defunctorum, quorum specialis in terra memoria non habetur, misereri digneris,
Ut Angelorum coetus eis splendidus subveniat,
Ut eis Patriarcharum et Prophetarum cuneus occurrat,
Ut eos gloriosus Apostolorum chorus excipiat,
Ut candidatorum Martyrum triumphans exercitus eos laetus circumdet,
Ut eos sanctorum Confessorum agmen deducat,
Ut jubilantium Virginum eos corona comitetur,
Ut, mitis atque dulcis Jesu, tuus eis aspectus benignus appareat,
Ut ad Auctorem suum, qui eos de limo terrae formavit, redire valeant,

Te rogamus, audi nos!

Ut ad dexteram tuam in Electorum consortium recipias, | Te rogamus audi nos!
Fili Dei, Fons pietatis,
Rex tremendae Majestatis,
Qui claves habes mortis, et inferni,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem sempiternam.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, miserere famulorum famularumque tuarum, et gratiam, quam de te per Christum speraverunt, remissis criminibus ipsorum, propitius tribue, ne in Judicio cum eis contendas: ne aeternis cruciatibus eos adjudices, sed eos tecum in sempiternam quietem recipias, ubi ea omnia feliciter percipiant, quae hic firmiter crediderunt. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Orationes diversae.

Pro defunctis Fratribus, Propinquis et Benefactoribus.

Deus, veniae largitor, et humanae salutis amator: quaesumus per clementiam tuam, ut nostrae Congregationis Fratres, Propinquos, et Benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Dominum etc.

Pro defuncto Episcopo seu Sacerdote.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum N. Pontificali (Sacerdotali) fecisti dignitate vigere: praesta, quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum etc.

Pro defuncto Sacerdote.

Praesta, quaesumus, Domine, ut anima famuli tui N. Sacerdotis, quem in hoc saeculo commorantem sacris muneribus decorasti, in coelesti sede gloriosa semper exultet. Per Dominum nostrum.

Pro defuncto.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, mundum per Mortem tuam vivificasti: libera, Domine, animam famuli tui a timore inimicorum et locis poenarum. Fac eam, Domine, plenissime consequi misericordiam tuam, et ne patiaris eam unquam a te separari.

Sed intercedente pro ea sancta Dei Genitrice Maria, et omnibus Angelis et Archangelis, Patriarchis et Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus, Viduis et omnibus Sanctis, dignare eam per virtutem sanctae Crucis et gloriam sanctissimae Resurrectionis inter tuos electos annumerari. Qui vivis etc.

Alia.

Omnipotens, misericors, aeterne Deus, Pater coelestis, et rerum universarum Domine, oro Te atque obsecro pro anima N., ut ejus miserearis secundum magnam misericordiam tuam, et eam, si in poenis mundo huic incognitis constituta sit, pro gratia tua liberes, respiciasque non ipsius peccatum, sed tuum promissum.

O Domine Deus, ne intres in judicium cum ea, sed fac, ut resurgat una cum corpore ad Resurrectionem vitae in die novissimo, et ut connumeretur inter oves a dextris. Ne permittas, ut sacrosancta Passio Morsque unigeniti Filii tui in hoc homine defuncto pereat. Quinimo dona ei salutem sempiternam, quam a te speravit, et largire ei coelestia gaudia, cujusmodi futura credidit.

Propitius esto ei, quippe uni ex electis tuis, ut e tenebris ad lucem, e terrore ad securitatem, e cruciatu ad refrigerium, e tristitia ad requiem transferatur, accipiat promissam, hoc est sempiternam haereditatem in coelis conservatam, cum omnibus Sanctis, atque immortalitatis gloria in conspectu tuo fruatur, ac in beatitudine interminabili per gratiam acquisita cum beatis universis laetetur. Per eundem Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum Filium tuum. Amen.

Pro Patre defuncto.

Domine Deus, investigabilis et immensae bonitatis, patrem meum colloca in loco refrigerii et quietis, ubi lux splendet vultus tui. Et ne memineris iniquitatum illius antiquarum, et secundum magnam misericordiam tuam dele chirographum peccatorum ejus, et chartam illius scinde, quia decet te omnis gloria in saecula. Amen.

Pro Matre defuncta.

(Hac oratione utebatur S. Augustinus orans pro matre sua.)

Laus mea et vita mea, Deus cordis mei, pro peccatis matris meae deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quae pependit in ligno, et sedens ad dexteram tuam, te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, et ex corde

dimisisse debita debitoribus suis; dimitte illi et tu debita ipsius, si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis.

Dimitte, Domine, dimitte, obsecro, ne intres cum ea in judicium. Superexaltet Misericordia judicium, quoniam eloquia tua vera sunt, et promisisti Misericordiam misericordibus.

Namque illa imminente die resolutionis suae memoriam sui ad altare tuum, cui servierat, fieri desideravit, unde sciret dispensari Victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis, computans delicta nostra, et quaerens, quid objiciat, et nihil inveniens in illo, in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem Sanguinem? Quis ei restituet pretium, quo nos emit, ut nos auferat ei?

Ad cujus pretii nostri sacramentum ligavit ancilla tua animam suam vinculo Fidei. Nemo a protectione tua dirumpat eam. Non se interponat nec vi, nec insidiis Leo et Draco. Neque enim respondebit illa nihil se debere, ne convincatur ab accusatore callido, sed respondebit, dimissa debita sua ab eo, cui nemo reddet, quod pro nobis non debens reddidit. Sit ergo in pace cum viro, ante quem nulli, et post quem nulli nupta est, cui servivit fructum tibi adferens cum tolerantia, ut eum quoque lucraretur tibi.

Et inspira, Domine Deus meus, inspira servis tuis, ut quotquot haec legerint, meminerint ad altare tuum famulae tuae N. cum N. quondam ejus conjuge. Meminerint cum affectu pio parentum meo-

rum in hac luce transitoria, et fratrum meorum sub te Patre in Matre catholica, et Civium meorum in aeterna Hierusalem, cui suspirat peregrinatio populi tui, ab exitu usque ad reditum, ut quod a me illa poposcit extremum, uberius ei praestetur in multorum orationibus. Amen.

Pro Parentibus.

Deus, qui nos patrem et matrem honorare praecepisti, miserere, quaeso, clementer animarum patris mei, et matris meae, atque omnium parentum meorum, eorumque peccata dimitte, meque cum illis in aeternae claritatis gaudio fac vivere. Amen.

Pro Amicis et Benefactoribus.

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus per clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores nostros, qui ex hoc saeculo transierunt, Beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Dominum etc.

Pro Sepultis in Coemeterio.

Deus, cujus miseratione animae Fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis omnibus, hic

et ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine laetentur. Per Dominum etc.

I. Fidelium Deus, omnium Conditor et Redemptor animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas etc.

Altera.

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo Fidei, et dormiunt in somno pacis. N. Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Alia.

Memento, Domine, dormientium Principum, Pontificum; Regum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum et Ministrorum tuorum, parentum nostrorum, et omnium in recta fide quiescentium, et imple nos timore Nominis tui, et dirige nos facere voluntatem tuam. Sit tibi gloria et honor, quia tu solus eis dignus es in saecula saeculorum. Amen.

Alia.

Memento Domine, Deus noster, spirituum et universae carnis, quorum memoriam egimus, et quorum non egimus, orthodoxorum ac recte de Fide

sentientium, ab Abel justo usque ad hodiernum diem. Fac eos requiescere in regione viventium, in Regno tuo, in deliciis Paradisi, in sinu Abrahae, Isaac et Jacob, sanctorum Patrum nostrorum, unde exulat dolor, tristitia et gemitus, ubi praesidet lumen vultus tui, et perpetuo refulget. Nostrae vero vitae fines, Christianos, acceptabiles, et peccatis puros, in pace dirige, colligens nos sub pedes Electorum tuorum, quando voles, et ut voles, per filium tuum unigenitum Dominum, Deum ac Salvatorem nostrum Jesum Christum; ipse enim solus est, qui absque peccato apparuit super terram.

II. Memento, Domine, ut bonus, servorum tuorum, et quaecunque in vita deliquerunt ignosce. Nemo enim sine peccato, nisi tu Domine, qui potes migrantibus dare quietem. Amen.

Alia.

Memento, Domine, Patrum et Fratrum nostrorum, qui in spe Resurrectionis, aeternae vitae dormitionem acceperunt, et omnium, qui in Fide pietateque vita functi sunt, et remitte ipsis, quicquid scienter vel ignoranter opere, sermone, vel mente deliquerunt. Et habitare eos facias in locis refrigerii, unde aufugit omnis dolor, moeror, et gemitus, ubi contemplatio vultus tui laetificat omnes tuos a saeculo.

Largire ipsis et nobis Regnum tuum, et participationem inenarrabilium et aeternorum bonorum, et beatae tuae vitae fruitionem. Tu es enim vita, resurrectio et requies defunctis servis tuis, Christe Deus noster. Et tibi gloriam impendimus cum aeterno Patre, et Sanctissimo, bonoque et vivificante Spiritu tuo, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Sequentia pro Fidelibus Defunctis.

Dies irae, dies illa,
Solvet saeclum in favilla:
Teste David cum Sibylla.
Quantus tremor est futurus,
Quando Judex est venturus,
Cuncta stricte discussurus!
Tuba mirum spargens sonum
Per sepulchra regionum,
Coget omnes ante Thronum.
Mors stupebit et natura,
Cum resurget creatura,
Judicanti responsura.
Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.
Judex ergo cum sedebit,
Quidquid latet, apparebit:
Nil inultum remanebit.

Quid sum miser tunc dicturus?
Quem Patronum rogaturus?
Cum vix justus sit securus.

Rex tremendae Majestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me fons pietatis.

Recordare, Jesu pie,
Quod sum causa tuae viae,
Ne me perdas illa die.

Quaerens me sedisti lassus:
Redemisti, crucem passus:
Tantus labor non sit cassus.

Juste Judex ultionis,
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.

Ingemisco tamquam reus:
Culpa rubet vultus meus:
Supplicanti parce Deus.

Qui Mariam absolvisti,
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.
Preces meae non sunt dignae:
Sed tu bonus fac benigne,
Ne perenni cremer igne.
Inter oves locum praesta,
Et ab hoedis me sequestra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.

Oro supplex et acclinis,
Cor contritum quasi cinis;
Gere curam mei finis.
Lacrymosa dies illa,
Qua resurget ex favilla
Judicandus homo reus.
Huic ergo parce Deus,
Pie Jesu Domine,
Dona eis requiem.

Amen.

Antiphon. Absolve, Domine, animas omnium Fidelium Defunctorum ab omni vinculo delictorum: ut, gratia tua illis succurrente, mereantur evadere judicium ultionis, et lucis aeternae beatitudine perfrui.

V. Requiem aeternam etc.

R. Et lux etc.

Oratio.

Supplices, Domine, pro animabus famulorum famularumque tuarum preces effundimus, obsecrantes, ut quidquid conversatione contraxerunt humana, et clementer indulgeas, et in tuorum sede laetantium constituas redemptorum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

V. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

Preces

pro

diversis vitae momentis.

In rebus adversis.

Benignissime Pater, Deus omnis spei et consolationis, concede mihi in omnibus adversis vivificam consolationem, et veram animae quietem. Multas in corde meo sentis angustias, sed consolationes tuae laetificare poterunt animam meam. Vana ac frustranea est omnis mundi consolatio, in te solo est animae robur et sustentatio. Premit me variarum calamitatum pondus: sed interiori tuo alloquio et consolatione redditur levius. Nulla creatura tantopere me poterit contristare, quin tu magis possis spiritu laetitiae me exhilarare. Nulla tantopere me coangustare poterunt adversa, quin cor meum magis dilatari possit tua gratia. Urget me aestus variarum afflictionum: sed gustus dulcedinis tuae blandum mihi praestat refrigerium. Destillant ex oculis lacrymarum flumina: sed abstergit illas manus tua benignissima. Quemadmodum Stephano protomartyri inter medios lapidantium ictus amicam faciem tuam exhibuisti contuendam: ita mihi misero in omnibus adversis consolationem tuam exhibere velis perfruendam. Quemadmodum in tristissimo mortis agone Filio tuo Angelum misisti consolatorem: ita in luctu hac mea Spiritum mihi mittere velis

sustentatorem. Sine tuo robore sub crucis onere collabor, sine tuo adjutorio ab impetu variarum adversitatum prosternor. Extingue in me mundi et creaturarum amorem: sic mundi adversa et creaturarum mutabilitas nullam mihi afferent amaritudinem. Qui corde suo adhaeret mundo et creaturis, nunquam particeps fieri poterit verae et imperturbatae quietis, siquidem terrena omnia perpetuis mutationum vicissitudinibus sunt obnoxia. Qui vero praesentibus hujus vitae bonis non adhaeret inordinata amoris cupiditate, is fugientibus iisdem non torquebitur nimiae sollicitudinis anxietate. Expelle, o Deus, ex corde meo mundi amorem et desiderium, ut coelestis Elisaeus in vasculum viduae, hoc est, animae terrena consolatione destitutae, infundat coelestis gaudii oleum. Turbentur, mutentur, sursum ac deorsum volutentur terrena omnia, tu nihilominus es cordis mei immota rupes ac firmissima petra. Num egena et infirma creatura turbare possit animae quietem, quam in te creatore certam et immotam possideo! Num fluctus mundi, inquietissimi illius maris, convellere possint cordis mei petram, quam in te summo et incommutabili bono fixam habeo? Quinimo pax tua exsuperat omnem intellectum, eadem etiam superabit omnium adversitatum incursum. Quam interiorem pacem, a te, benignissime Pater, supplicibus gemitibus precor. Amen.

In tentationibus superbiae.

Omnipotens ac misericors Deus, qui omnis superbiae osor es acerrimus, concede mihi, ut sim rosa caritatis, et viola humilitatis: ut bonam fragrantiae odorem per opera caritatis spargam et humiliter in corde meo de me sentiam. Quid ego coram te, Domine? Pulvis, cinis, umbra, nihil. Quare cum nihilum sim in conspectu tuo, concede, ut nihili me aestimem in conspectu meo. Deprime innatum cordis mei tumorem: ut suscipiam coelestis gratiae rorem. Neque enim sursum ascendunt fluenta gratiae tuae in elatos montes: sed deorsum feruntur in depressas humilis cordis convalles. Nihil quicquam meum, praeter infirmitates et iniquitates. Quicquid in me boni, ex fonte bonitatis tuae ad me descendit: proinde mihi nihil quicquam bonorum arrogare possum, cum nihil sit proprie meum. Quanto de te sentio sublimius, tanto de me sentire cogor indignius. Absit a me, absit quam longissime, ut de bonis tuis, benignissime Domine, velim superbire, et alios propterea despicere. Thesauros bonorum tuorum in arculam cordis mei deposuisti, quos et quantos voluisti: absit a me, ut illos mihimet ipsi, vel meae dignitati attribuam. Accendisti in corde meo per Spiritum tuum ignem pietatis et caritatis, concede quaeso, ut illum obtegere possim per cinerem humilitatis. Quantula est illa gloria, quae homini ab homine datur? Quantula laus, qua homo ab homine decoratur? Qui tibi, o Creator maxime, magnus est, is vere magnus: quis tibi pla-

cet, nisi qui sibi displicet? Tu es vitae meae vita: tu animae meae anima. Ergo vitam et animam meam in manus tuas resigno, et humili corde tibi totus adhaereo. Excelsum tuum respiciat meam humilitatem, altissimum tuum respiciat vilitatem. Ah cur tantopere desidero extolli in mundo, cum in illo nihil sit mundum? Cur tantopere me effero, cum me graviter premat peccati jugum? Configat cor meum stimulus sancti timoris, ne fortassis occupetur periculosissimo morbo spiritualis tumoris. Sint perpetuo in conspectu meo innumera peccata mea; in oblivione vero qualiacunque mea bona opera. Plus contristet me peccatorum meorum memoria, quam immundi et imperfecti alicujus, quod feci, operis boni gloria. In te solo laetor et glorior, qui es gaudium et gloria mea in aeternum. Amen.

In tentationibus vanae gloriae.

Sancte Deus, Pater coelestis, invoco te per dilectum Filium tuum, ut per Spiritum sanctum cor meum a terrenis abstrahas, et ad coelestia desideranda evehas. Quemadmodum ignis per naturam sursum evolat, ita spiritualis ignis caritatis et devotionis in corde meo accensus ad coelestia tendat. Quae et qualia sunt terrena ista omnia? vitro fragiliora, Euripo mobiliora, vento fugaciora. Stolidus igitur forem, si corde meo illis adhaererem, et veram animae quietem in illis quaererem. In morte terrena omnia tandem, vel invito, sunt deserenda:

effice in me, quaeso, ut cordis affectu voluntario ea prius deseram. Mortifica in me amorem mundi, ut crescat sanctus amor tui. Custodi me per Spiritus sancti auxilium, ne diligam hunc mundum, ne cor meum ex eo fiat immundum. Transit hujus mundi figura, transit momentanea ejusdem gloria, in propinquo est coeli et terrae ruina. Flecte igitur cor meum, ut sim amator vitae in perpetuum permanentis, non autem mundi hujus citissime fugientis. Quicquid in hoc mundo est, concupiscentia carnis est. Concupiscentia carnis est concupiscentia oculorum et superbia vitae. At quam vanum est, concupiscentiam oculorum diligere, quam periculosum concupiscentiis oculorum indulgere, quam noxium superbiam vitae eligere? Non potest vere ab eo diligi Christus, coelestis vitae panis, qui plenus est terrenis porcorum siliquis. Non potest libere ad Deum evehi, cujus cor captivum est amore hujus mundi. Non est, quo intret amor Dei, ubi vasculum cordis repletum est amore saeculi. Exstingue igitur, o Deus amor meus, in me terrenorum appetitum, tolle amoris mundani vinculum: effunde et expurga cordis mei vasculum, ut sincero amore te diligam, et perfecto corde tibi adhaeream. Ah cur velim diligere ea, quae sunt in mundo, cum desiderium animae meae, ad aeternitatem creatae, non impleant, nec ullum omnino amorem mihi rependant? Illum anima mea amabit, cum quo in aeternum habitabit: illuc praemittam cordis mei desideria, ubi aeterna mihi parata est gloria. Ubi thesaurus meus, ibi etiam erit cor meum. Da mihi pennas colum-

bae, ut in sublime ad te evehar, et in foraminibus petrae abscondar, ne laqueis mundani amoris venator infernalis me capiat, meamque animam ad terrena iterum trahat. Totus mihi mundus amarescat, ut solus Christus animae meae dulcescat. Amen.

In tentationibus luxuriae.

Da nobis, quaesumus, Domine, vitiorum nostrorum flammas exstinguere, sensuum portas cautissime custodire, summam in phantasiis, cogitationibus, desideriis, affectibus, verbis, colloquiis, conversationibus, amicitiis, et operibus puritatem sectari; ut vitii hujus tyrannidem evadere, et incendia superare valeamus, ne cum tot hominibus, ob hoc vitium damnatis, flammis sempiternis exuramur; nam ignis infernalis est luxuria, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintilla prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna. Crucifige ergo carnem meam et concupiscentiam ejus, o Domine, per Jesum pro nobis crucifixum. Amen.

In tentationibus invidiae.

O Domine Deus meus, charitatis fons, et origo bonitatis, hunc mihi dilectionis proximi gradum concede, ut omni livoris peste caream, et haeredita-

tem illam, quam cohaeredum numerus non angustat, quae et omnibus una est, et singulis tota, unicam diligam.

Amove a me zeli livorem, contentionis ardorem, et invidiae rubiginem; libera me a rancore invidiae, ut replear charitatis tuae dulcedine, per Jesum Christum Dominum nostrum.

In tentationibus iracundiae.

Omnipotens, aeterne ac misericors Deus, supplicibus gemitibus imploro tuam gratiam, ut concedas mihi veram ac sinceram patientiam in omnibus rebus, potissimum in doloribus et morbis corporis, in melancholia et taedio, in tristitia et fatigatione, in fame et siti, in penuria et egestate: in moribus et inclinationibus hominum, mihi contrariis, perferendis: in ignominia, contemptu, degradatione; in damnis amicorum, in persecutione, martyrio, morte: denique in tristitia et anxietate spiritus; in desolatione et siccitate; in distractionibus et obscuritatibus; in scrupulis et tentationibus diabolicis; ut impleam illud Jobi: „Sicut Domino placuit, ita factum est; sit Nomen Domini benedictum!" Et illud Apostoli: „Omne gaudium existimate fratres! si in varias tentationes incideritis."

O quam multas et graves tribulationes passi sunt Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines et reliqui omnes, qui Christi vestigia sunt secuti!

Peto itaque a te, o Domine, sicut S. Laur. Justinianus, famulus tuus: „Domine, hic patientiam, postea indulgentiam;“ vel cum S. Augustino: „Domine, auge dolorem, sed auge simul patientiam.“ Per Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Contra tentationes gulae.

Concede mihi, Domine, Deus meus, sobrietatem studio singulari semper colere, ebrietatemque devitare, ut damna hujus horrenda evadam: ne cum Noë confundar, cum Loth turpiter cadam, cum Holoferne inteream, cum divite epulone in infernum descendam; sed cum Sanctis innumeris, sobrietatis amatoribus, mente semper bene disposita, Te laudem et glorificem, proximumque juvare valeam omni hora et momento temporis. Largire mihi, Domine, sobrietatem perpetuam, ne unquam diabolus tanquam leo rugiens me devoret; hoc supplex oro per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

In tentationibus pro dono abnegationis sui ipsius.

O Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui exclamas: „Quicunque vult meus esse discipulus, abneget seipsum, tollat crucem suam et sequatur me:" Oro te per sanctissimam tuam mortem et crucifixionem, perfice in me eam, quam requiris, mei abnegationem. Novi facilius esse, omnes creaturas deserere, quam seipsum abnegare. Quod igitur ex meipso praestare nequeo, illud ut in me perficias, humiliter peto. Conticescant in me voluntatis propriae desideria, ut audire possim divina tua alloquia. Eradicentur ex corde meo amoris proprii fibrae, ut crescant in me suavissimae divini amoris plantae; Totus mihi et concupiscentiis meis moriar, ut totus tibi tuaeque voluntati vivam. Voluntas mea mutabilis est ac mobilis, vaga et instabilis. Da igitur ut voluntati tuae meam subjiciam, et tibi soli immutabili ac perpetuo bono indivulse adhaeream. Tum demum divinae in nobis crescunt virtutes, quando naturales deficiunt vires: tum demum in Deo fiunt nostra opera, quando mortificata est in nobis voluntas propria: tum demum vere in Deo sumus et vivimus, quando in nobis ipsis quasi annihilamur ac evanescimus. Ergo, o vera vita, mortifica voluntatem meam. Quicquid in nobis Deo probari debet ac placere, illud ab ipso oportet in nos descendere. Soli igitur Deo omne bonum adscribendum, et quod ipsius est proprium, ipsi relinquendum. Quicquid

in nobis fulget ac coruscat, id ab aeterna et incommutabili luce oritur, quae tenebras menti nostrae innatas irradiat. Eo igitur modo lux nostra coram hominibus splendeat, non ut nobis, sed ut Deo gloria exinde surgat. Hanc verae cognitionis lucem, o Christe, vera lux, in mente mea accende: hanc proprii honoris abnegationem, o Christe vera Patris gloria, in corde meo operare. Melius mihi in Te, quam in me. Ubi non ego, ibi felicius ego. Infirmitas mea fulciri desiderat virtute tua, nihilum meum aspirat ad robur tuum. Voluntas tua sancta in terra carnis meae fiat, ut coeleste tuum regnum in animam meam veniat. Mortifica in me amorem ac honorem proprium, ne impediat regni tui adventum. Si totum hominis bonum est amare Deum, totum hominis malum sit necesse est, amare seipsum: si ea veri boni conditio est, ut se effundat, magnum malum erit amor proprius, qui sua et aliorum bona sibi vindicat. Si uni Deo omnis debetur gloria, maximum furtum erit honor proprius, qui aliena ad se trahit bona. Hunc amoris et honoris proprii affectum in me extingue, o Christe, in saeculum benedicte. Amen.

Precatio in quovis subito periculo vel terrore.

Deus in adjutorium meum intende, et Domine ad adjuvandum me festina.

Adjuva nos, Deus Salutaris noster, et propter gloriam Nominis Tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris.

In manus tuas commendo spiritum meum, et redemisti me Domine, Deus veritatis.

Oremus.

A subitanea et improvisa mala morte liberet nos Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

Precatio in morbo, aut quavis tribulatione.

Miserere, Domine, miserere pie, miserere mihi miserrimo peccatori, indigna agenti et digna patienti, assidue peccanti, et tua flagella quotidie sustinenti. Si penso malum, quod quotidie feci, non est tantum, quod patior, gravius est, quod commisi; levius est, quod tolero.

Justus es, Domine, et rectum judicium tuum, et non est ulla iniquitas in te; non enim injuste, neque crudeliter affligis nos peccatores, omnipotens et misericors Domine, qui cum non essemus, potenter fecisti nos, et cum perditi fuissemus culpa nostra, pietate et bonitate tua inenarrabiliter reparasti nos.

Scio et certus sum, quod vita nostra temerariis motibus non agitur, sed a te, Domino Deo nostro, disponitur et gubernatur. Unde tibi cura est omnium, praecipue servorum, qui totam spem suam posuerunt in sola misericordia tua. Idcirco obsecro

et suppliciter rogo, ne facias mihi secundum peccata mea, quibus iram tuam merui, sed secundum magnam misericordiam tuam, quae superat etiam peccata totius mundi.

Tu Domine, qui exterius flagella irrogas, da semper interius indeficientem patientiam, ita ut laus tua non recedat de ore meo. Miserere mei, Domine, miserere mei, et adjuva me, sicut tu nosti, quod mihi est necesse in corpore et anima. Scis omnia, potes omnia, qui vivis in saecula. Amen.

Precatio in rebus tristibus pro robore et patientia.

Vita haec nostra peregrinatio est, ab exilio ad patriam, hoc est, ab omni miseria, quae longissime a te recessit, ad te recedit, ad te beatitudinem. Ac ne detineat nos dulcedo, vel amoenitas viae, quo minus ad te recta et celeriter contendamus, excitas nos stimulis, pungis spinis, ut concupiscamus requiem et finem itineris. Sunt ergo morbi, fletus, luctus, moeror, denique adversa omnia velut calcaria, queis urgetur segnis iste equus, vel verius asinus, ne velit semper in via subsistere.

Fac nos Domine oblivisci viae, meminisse patriae, et si adjicis pondus adversorum, adde etiam robur, quo nec succumbamus oneri, sed fortiter portemus, ad te perpetuo intenti et erecti.

Caeterum tua sunt, Domine, omnia; fac de omnibus sine exceptione, quod inscrutabili tuo consilio

cordi fuerit, hoc excepto, ne me tibi inimicum esse patiaris. Amen.

Oblatio hominis desolati in manus Dei.

Domine, sancte Pater, tibi nunc et in aeternum benedictio, laus, et honor sit ab omni creatura, quia pro tua voluntate omnia facta sunt et fiunt. Laetetur in te servus tuus, non in se, nec in alio aliquo, quia tu solus es iustitia vera, tu spes mea, corona mea, et gaudium meum, Domine. Nunc derelictus sum, Domine, in desolatione et tristitia magna, ignorans, quo me vertam, nisi ad te, Domine Deus meus.

O amantissime Pater, ecce nunc tenent me undique angustiae, et nunc est hora tribulationis, quam tu ab aeterno praevidisti, ut ad modicum tempus probetur servus tuus foris, vivat vero semper apud te intus, paululum vilipendatur ab hominibus et confundatur in terris, sed apud te semper magnificetur in coelis. Pater sancte, tu sic ordinasti, ita modo factum est. Sine consilio enim et providentia tua nihil fit in terra. Haec est enim gratia ad amicos tuos, ut plurimis semper tribulationibus affligantur, et ab omnibus contemnantur et confundantur.

Bonum mihi est, Domine, quod humiliasti me ut discam justificationes tuas, et fiduciam meam in nullo, praeterquam in te solo ponam. Ecce in manibus tuis sum, sub virga correctionis tuae me inclino, percute dorsum meum, ut incurvem ad tuam

voluntatem tortuositatem meam. Multo enim satius est, hic pati, quam in futuro. Tu nosti, quid et quomodo mihi salubrius sit. Homines saepe judicant secundum faciem externam, et falluntur, tu vero scrutator es cordis.

Nunc quidem, o Domine, in gravi sum tribulatione, et cordi meo non est bene, sed ideo in hanc tempestatem corrui, ut a me tu glorificeris, quum inde a te fuero liberatus, quemadmodum saepe in mortis angustia constitutus per te liberatus fui. Nonnunquam enim per ea, quae maxime nobis contraria videntur, salutem nostram operaris. Sic Josepho per multas injurias, quibus a fratribus suis affectus fuit, operatus es gloriam. Quis credidisset per hanc tam contrariam ordinationem tuam, eum tandem ad imperium perventurum?

Item, cui persuaderi potuisset, Dominum nostrum Jesum Christum, filium tuum, per mortem crucis sic exaltandum? Quis putasset, Apostolos reliquosque electos per tot hujus vitae mala, adeoque per mortes ignominiosas et violentas, transituros ad requiem vitamque sempiternam? Adeo stupenda sunt opera tua Domine, ideoque confido et nunc, me, sicut olim saepe, ex hac tribulatione per tuam gratiam, cito liberandum, tametsi id oculis hominum videatur impossibile. Nam quod apud homines est impossibile, apud te, Domine mi, admodum est possibile. Qui vivis et regnas in saecula. Amen.

Precatio tempore multae pluviae.

Domine Deus, qui in ministerio aquarum salutis tuae nobis sacramenta sanxisti, exaudi orationem populi tui, et jube terrores inundantium cessare pluviarum, flagellumque hujus elementi ad effectum tui converte Mysterii, ut qui se regenerantibus aquis gaudent recreatos, gaudeant his castigantibus esse correctos. Per Dominum etc.

Precatio tempore diuturnae siccitatis.

Obsecramus misericordiam tuam, Domine, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, ut squalentes agri foecundis imbribus irrigentur, quibus pariter aestivi mitigentur ardores, et saevientium morborum restringatur accessio, salus hominibus jumentisque proveniat.

Atque, ut te hoc largiente mereamur, peccata, quae nobis adversantur, relaxa, qui pluis super justos et injustos. Et jam nostris offensionibus relaxatis, exspectata nubium munera largiaris, quibus et salus nobis et alimenta praestentur. Per Christum Dominum etc.

Precatio in magna tempestate.

Rex aeterni imperii, omnipotens Deus, qui das escam omni carni, qui operis coelum nubibus, et paras terrae pluviam, qui mandas nubibus desuper,

et januas coeli aperis, qui transfers austrum de coelo, et inducis in virtute tua africum; qui rigas montes de superioribus suis, et de fructu operum tuorum satiatur terra; qui Angelo praecepisti, ne terrae, mari, neque arboribus noceret: parce, Domine, metuentibus, et propitiare supplicantibus.

Te enim, Domine, supplices exoramus, ut procul abscedat incursio turbinum, calamitas tempestatum, fragorque grandinum, percussio fulminum, et quaelibet insidiae inimici temperentur; infesta tonitrua, noxiae pluviae, ventorum flamina fiant moderate suspensa. Omnis quoque spiritus procellarum, et aëreae potestates, virtutis tuae dextera prosternantur.

Descendat, quaesumus, Domine, desuper Spiritus Sanctus, et sicut Samueli cornigerum agnum in holocaustum tuum mactanti, fragor aurarum turbam repulit adversantem, ita fugatis omnibus contrariae potestatis virtutibus, fruges, mentes, et corpora fidelium manus servet angelica protectione superna. Et post sopitos nubium impetus, in laudis et devotionis ac spiritualis amoris augmentum transeat comminatio potestatis. Per Dominum etc.

Precatio ingressuri iter.

Deus, qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti; quique tribus Magis iter ad te stella duce pandisti: tribue nobis, quaesumus, iter prosperum tempusque tranquillum, ut Angelo tuo

sancto comite, ad eum, quo pergimus, locum ac demum ad aeternae salutis portum pervenire feliciter valeamus.

Die Sancti, cujus nomen geris.

Laudate Deum in Sanctis ejus. Ps. (150.)

O Sancte gloriose, cujus memoriam Ecclesia Dei hodie celebrat, amore devoto te saluto, tuaque gaudeo alta sublimitate in sedibus coelestis Paradisi aeternis. Memento clientis tui miseri, qui habitas in regno coelorum, dum Ecclesia hac in terra memoriam tui solenniter celebrat, Deumque, aeternum fontem omnis Sanctitatis, in te, Sancto ejus, glorificat.

O beatissime pugnator Christi! perpetuo nunc versaris in regionibus infinitae Majestatis, vixque memineris temporis, ubi et tu, indutus vestibus mortalitatis nostrae, peregrinus fuisti in hac vita aerumnosa. Immortalitatis nunc ornatus es veste splendida, et in aeternum fulgent coronae coelestes, virtutes tuae, quas in hac lacrymarum valle magnanimus usque ad finem vitae tuae sanctae exercuisti.

Summa admiratione in te suspicio, et ardet coelestium animus meus sedium desiderio; sed rubore suffusum est os meum, dum cogito, hic olim te migrasse cum innocentia, et, famulum Dei, vero amore et sincera pietate coelum meruisse: me vero, submersum segnitie et voluptate, nonnisi bona hujus terrae affectare; tam superbum, tam inhumanum esse

in alios homines, et tam servili animo inservire cupiditatibus meis. Quam indignus sum ego, o magne Sancte Dei, qui nomine tuo utar glorioso, quum mea vita sit dissimillima tuae.

Fretus tamen animus meus magno tuo amore implorat exoptabilem tuam intercessionem; impetra mihi gratiam a Deo, virtutum tuarum auctore, ut exemplum tuum egregium sequar in omnibus rebus; cum pietate, quaecunque voluntas Dei a me postulat, perficiam; animum meum ab hoc mundo in dies magis abalienem; tui similis appetam aeterna, palmamque gloriae in regno pacis merear immortalis.

Exaudi, potens Patrone, clientis tui miseri orationem, et supplica Regi Majestatis, ut mei misereatur, meque hac vita defunctum in numero habeat illorum, qui requiescunt in sedibus coeli, eundemque Deum amant, laudant, glorificant in aeternum. Amen.

Die Natali.

Omnipotens, sempiterne Deus, gratias ago Tibi pro vita, quam mihi dedisti. Amore paterno perductus me creasti, me nutrivisti, omnes meos gressus observasti. Quanto amore hucusque me duxisti! Quot dies laetitiae mihi donasti! Quoties fortunam salutemque mihi dedisti! Quoties consolatus es me in laboribus meis! Memor eras mei, quum nondum eram. Quoties vera et paterna benignitate me monuisti de periculis! Ego peccabam, Tu perferebas me cum patientia; ego cadebam, Tu rursus me levabas; ego

Te relinquebam, Tu me sectabaris: quumque reverterer ad Te, recipiebas me pater benignus.

O quantum Tibi debeo pro innumeris beneficiis quae in me, Christianum et Sacerdotem contulisti! Denuo hodie me excita ad virtutem exercendam.

Si vitam mihi longiorem praebebis, mi Deus, animum quoque praebeas, qui nunquam Te relinquat, ardentioreque amplectatur amore. Omnia mihi eripe, praeter amorem Tuum, benignissime Deus, in quo est omnis salus mea!

Id unum oro Te, per D. N. J. Ch. Amen.

Pro memoria accepti Ordinis Presbyteratus.

Salve, in gaudio animi mei, serene ac praeclare dies, quo gratia Sancti Spiritus me adduxit in gradus altaris, ut ordinem acciperem presbyteratus! Quanto desiderio exspectaveram olim auroram tuam! Quanta laetitia jam dudum praestolatus eram horam istam, qua voti animi mei a puero unici compos fierem! Quanta diligentia me praeparaveram! Quam trepida mente accesseram ad altare! Quumque sacratus essem gratia coelesti sacerdos ego Domini, quam bona consilia ceperam!

Ferventi ardore inibam animarum curam; verus pastor esse volebam earum, ovesque perditas secundum Magistri exemplum reducere in stabulum salutis! Quam dulce, cogitabam, erit animo meo, opera misericordiae exercere in animabus et corporibus fide-

lium; consolari moestos, cibare esurientes, reducere errantes ad veritatem; verbum divinum praedicare, Sacramenta administrare, parvulos viam salutis docere, denique morienti mitem efficere exitum! Zelus revera Domini me inflammabat primis muneris mei diebus! — Sed, mi anime, tam repente quid perterreris? Quid tibi hanc dulcem memoriam reddit amaram? — Heu, dolor puderque cruciat me! conscientia enim exprobrat mihi, jam multum illius fervoris me amisisse; ac pertinere ad me videtur proverbium hoc: „Initio fervet, in medio tepet, in fine languet.“

O benignissime Deus, talem finem a me prohibe! Da mihi robur ac firmitatem, ut tepore relicto virtute crescam, et officiis meis religiose satisfaciam, ne offensum Te a me conqueraris: „Quid est, quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Quid est, quod ultra debui facere vineae meae, et non feci? Exspectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas.“ — Formido lamentationem illam Prophetae: „Filii Sion incliti, et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea et in opus figuli?“

Ne me inducas in tentationem! Tu enim ipse Apostolis Tuis, licet virtute essent probati, dixisti, Spiritum quidem esse promptum, carnem autem infirmam. Quum igitur appropinquaverit tentatio aliqua, — quod certo saepius accidet, Satanas enim Tuam ipsius Sanctitatem non perhorruit, — libera me a malo, et adsis mihi, ut superior discedam.

Adjuva me, optime Jesu Redemptor, Sanctissime Deus, ut et ipse sanctus fiam, et eos, qui crediti sunt curae meae, ad sanctitatem perducam, et conjuncti intremus in laetitiam aeternam. Amen.

Ultimo anni die.

Viator magno itineris spatio confecto consistit et grato animo gaudet ad hoc spatium respiciens: sic laicus anno feliciter peracto respicit ad hanc vitae suae partem, laetus animo suo, gratiasque agit Deo benigno pro beneficiis per id et omne tempus acceptis: Quanto potius autem sacerdos, qui multo plura Deo bona debet, accedat ad adorandum:

Aeternas Tibi, aeterne et misericors Deus, debeo gratias, quod non solum corpus et animam mihi dedisti: sed insuper variis animi, corporis et fortunae donis me instruxisti, tum per omne vitae meae tempus, quum hoc praeterlapso anno. Tu, o summa sapientia, doces hominem omnem scientiam. Si quid igitur boni scio, id exuberantem Tuam erga me demonstrat gratiam. Absque Tuo lumine mens mea tenebrosa; absque Tua gratia voluntas mea captiva. Si quid est in me ingenii ac prudentiae, id omne acceptum ferendum est Tuae clementiae. Oculus animi est prudentia, oculus prudentiae divina gratia. Quidquid scimus, id cognoscimus vel ex lumine naturae, vel ex verbi revelatione. Atqui

a Te, o lux aeternae sapientiae, oritur naturae collustratio; a Te etiam verbi revelatio. Utique ergo quicquid scimus, a Tuo ad nos descendit munere. Tu, o indeficiens fons vitae, es vita mea et productio dierum meorum; Tu, o aeterna sanitas, es corporis mei robur, et virtutis vigor. Non solo pane vivit homo; sed omni verbo, quod egreditur per os Tuum. Tranquillitas mentis conservat corporis sanitatem, vera pietas parit conscientiae tranquillitatem. A Te, o summum bonum, omnis vera pietas, inconcussa mentis tranquillitas, et exoptata corporis sanitas. Quidquid exteriorum bonorum insuper possideo, id omne Tuae benignitati debeo. Ne frustulum quidem panis meis debetur meritis: quanto minus hoc, quod tot ac tantis me cumulas exterioribus bonis. Vocantur quidem fortunae bona: sed revera sunt gratiae Tuae dona. Nihil beatius, quam aliis inservire et elargiri: hujus felicitatis me reddidisti participem; largiorem exteriorum bonorum mihi conferendo segetem, sparsisti in me semen tuae gratiae, ut aliis inde exsurgat messis beneficentiae; affatim enim dispensationi meae commisisti bonorum per beneficium ecclesiae, ut pauperibus benefaciendi daretur materia. A Te, omnis boni auctore, descendunt in me bonorum rivuli. Quicquid sum, quidquid elargior, illud totum a benignitate Tua dependere fateor. Pro hac immensa Tua misericordia gratias Tibi ago quam maximas: imprimis autem, quod me indignum fecisti dignum, qui sim Sacerdos Ecclesiae Tuae, animabusque viam coeli legatus Tuus ostendam. Gratia Tua mihi concessum erat, etiam per hunc

praeterlapsum annum, esse confessarium, peccatoresque ad poenitentiam perducere; parvulos docere doctrinam Tuam salutarem; sacramenta, vitae fontes, dispensare, morientes ad ultimum vitae momentum adjuvare; denique esse pastorem ovium, quas redemit Filius Tuus sanguine suo pretiosissimo. O quantas debeo agere Tibi gratias pro hisce mihi collatis officiis coelestibus, quae mihi, bene administrata, viam in regnum Tuum expediunt aeternum.

Amen.

Exercitia spiritualia.

De Exercitiis Spiritualibus.

Quanta sit horum necessitas: quae methodus, illa fructuose instituendi.

Exercitia spiritualia nonnisi ad spiritualem hominis renovationem sunt ordinata: haec autem aliud nihil est, quam omnis vetustatis depositio, et sanctae novitatis seu melioris conversationis assumptio. Quam sit homini necessaria spiritualis illa renovatio, experientia quotidiana patet; quam promptus enim sit spiritus, caro semper infirma, et quando etiam cum fervore coeperimus, facile tamen tepescimus. Fatere ipse, quisquis legis: quoties enim invictissime proposuisti, linguam, oculos et aures cautius custodire, pravam hanc propensionem fortiter superare, periculosam illam occasionem aut conversationem relinquere, hujus, illiusve passionis motus generosius reprimere, animarum saluti diligentius incumbere, status tui functiones ac obligationes exactius et perfectius implere, divina majori cum praeperatione, devotione, attentione peragere; fortassis etiam aliquamdiu operi manum dedisti, profecisti, vicisti; et tamen sive ex virium inopia cecidisti, sive ex nimia exterorum cura denuo defecisti. Correctio igitur opus est, et culpabilis illa in horis recitandis dissipatio, in celebrando negligentia, vana illa sui elevatio et jactantia, aliorumque despicientia, sordida illa habendi cupiditas, morum dissolutio, incontinentia linguae, intemperantia, mollities, ali-

aeque imperfectiones quam plurimae, quas quisque, si exprobrantis conscientiae vocem auscultat, in se novit: sat probant et evincunt necessitatem recollectionis frequentioris. Ad hanc exemplo suo nos provocat Christus Dominus, Sacerdotum omnium magister et norma; ad hanc nos iterum exhortatur per Apostolum suum, dicentem; „Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum.“ Ad hanc nos urget propria perfectio ac sanctificatio.

Ut igitur exercitia spiritualia rite ac fructuose instituas, Sacerdos, ab omnibus te oportet saecularibus negotiis ac occupationibus externis, quantum quotiesque fieri potest, animum subducere, et soli Deo, tibique ipsi in secessu aliquo vacare; nam si id omnibus verae pietatis sectatoribus utilissimum, ne dicam aliquo modo necessarium est: multo magis de Sacerdotibus aliisque Ecclesiae ministris censendum est, utpote qui ad tam sanctum statum vocati, ac ad tam altum dignitatis gradum erecti, et nihilominus variis curis ac solicitudinibus pro cultu religionis animarumque subsidio distracti, efficacioribus adjumentis ad pietatis vigorem atque caritatis fervorem fovendum ac conservandum indigent.

„Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum!“ ajebat Christus Apostolis; et Propheta: „Quis dabit mihi pennas, sicut columbae, et volabo et requiescam? Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine.“ — Clericum solitudo facit, non publicum, scribit sanctus Hieronymus. — Qui plus aequo immixtus est turbis, nec vacat Deo, seque a vulgo segregat, ad sanctitatem non

pervenietd. Persequaris vestigia summi Sacerdotis; interdum scilicet declines tumultum hominum: redeas ad cor tuum, ac subeas in montem oraturus. — Idem pastor Christus ductus est in desertum a Spiritu. Solitudo novit vigilias Jesu; solitudo suscepit lacrymas Jesu; solitudo orationes ejus audivit, solitudo in transfiguratione coruscantem faciem ejus sole clariorem vidit: solitudo resurgentem, solitudo ascendentem Dominum conspexit. Si solitudo petita a Christo non delinquente, quanto magis exoptanda homini peccanti? — In secessu uberiora dona largitur Deus.

„Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor ejus."

Blandis videlicet et consolatoriis verbis moestitiam moeroremque temperat Deus, ait S. Hieronymus in hunc locum. Hac de causa S. Augustinus: „O beata, exclamat, solitudo, o sola beatitudo!" Sic omni tempore sanctissimus quisque vir amavit secessum; Joannes quoque, ut S. Ambrosius scribit, in deserto adolevit, et constantiam illic prius exercuit, ut postea regem increparet. — S. Carolus Borromaeus, Archiepiscopus Mediolanensis, saepius ab urbe discedebat, seque in remotis locis colligens, plures dies totos, ab omni alia occupatione liber tum superioris temporis errata dolebat, tum sese spiritualibus divinisque contemplationibus ad majorem sanctitatem incitabat. Sed longum est, multos illos enumerare Sanctos, qui hanc suam sanctitatem petiverunt in secessu!

Horum imitans exemplum confer te, quum facultas tibi est, in solitudinem, purissima permotus intentione, sincerissimo ac flagrantissimo desiderio renovandi spiritum mentis tuae; vitia tua emendandi, in bono te confortandi, atque de salute animae tuae meditandi.

Meditationes

pro

singulis hebdomadae diebus.

Die Dominica.

De necessitate perfectionis in sacerdotibus.

Fili, ecce sacerdos factus es: non allevasti onus tuum; quinimo super sarcinam communem, onus angelicis humeris formidandum suscepisti. Jam arctiori alligatus es vinculo disciplinae.

Ambula igitur coram me, et esto perfectus. Sanctus esto, quoniam ego sanctus sum, qui sanctifico te. Perfectus esto, sicut Pater tuus coelestis perfectus est.

Erras, fili, erras, si credis me ab illis tantum perfectionem exspectare, qui per vota religionis omnia reliquerunt, se mihi consecrarunt, et absolute a mundo segregarunt.

Ipsi quidem perfecti esse debent: at, cum jam non sint in mundo, nec amplius inter mundi scandala versentur, facilius se possunt immaculatos servare; sicque, sine tam acribus bellis, tam violentis nisibus, possunt mihi, in sanctitate et justitia, deservire.

Tibi vero proficere volenti majori diligentia opus est. In mundo es: inter media pericula ver-

saris; hostes habes, a dextris et a sinistris: et tamen pertransire illaesus, permanere justus, imo in dies magis ac magis justificari et sanctificari debes.

Religiosi quidem ardere debent: tu vero sacerdos, ardere et lucere.

Religiosi quidem vas suum debent in honore servare: tu vero, sal terrae, debes terram ipsam, id est homines, a corruptione praeservare.

Illi sibi sapere debent: tu vero tibi et ovibus; forma gregis ex animo esse debes.

Audi ergo, fili: dixi tibi, et iterum dico: esto perfectus.

Domine, scio vere, quod ipsae stellae non sint mundae in conspectu tuo; quanto magis homo, putredo et vermis!

Quomodo ergo ita perfectus esse potero, sicut decet ministrum tuum, quotidie ad mensam tuam assistentem?

O quam purum os! Quam mundum corpus! Quam perfectum debet esse cor meum, ad quod tam frequenter ingreditur Deus ipse, ipsa puritas, ipsa sanctitas, ipsa altitudo!

Et quomodo non contremiscerem, Domine, quando recordor Aaronem, sacerdotem veteris legis, sanctum esse debuisse et perfectum; dum tamen ille ad arcam foederis tantum, et vasa tabernaculi instituebatur: ego vero ad te ipsum, o Deus meus, ordinatus sum?

Ille panes propositionis tantum: ego vero panem Angelorum debeo non solum tractare, sed et conficere.

Ille tamen Aaron, ad infima haec et egena elementa, ad umbras futurorum redactus, cum sua tribu a caeteris tribubus debuit separari.

Quanto magis ego, ad bona ipsa adumbrata, ad veritatem praefiguratam, ad ipsa Dei mysteria consecratus, debeo disparitate et sanctitate morum a communi plebe segregari.

Ita est, fili: elegi te de mundo, segregavi te a mundo; factus sum pars haereditatis tuae, et calicis tui. In mundo es: sed jam de mundo esse tibi non licet.

Popularibus igitur negotiis et cogitationibus ne intendas: nullis te implices cupiditatibus; nullis involvaris impedimentis.

Solum, quae mea sunt, cura; cultui meo vaca; rerum coelestium tractationi incumbe: conversatio tua in coelis sit.

Equidem in terris inter homines te reliqui: sed ad quid? Attende, fili: ut illos salvos facias, ut in illis amorem meum accendas, ut ipsos gratia mea irriges, et tecum ad coelestia trahas.

In terra quidem es, sed de coelis es, ad coelum pertines; imo coelum debes esse animarum; ut sicut corpora, per coeli materialis influxum, vigent et faecundantur, ita per te animae vivant et in dies perficiantur.

Esto igitur ipsis coelum praecelsum, per contemplationem; coelum amplum, per charitatem; coelum splendidum, per sapientiam.

Coelum regulare in motu, per obedientiam; serenum, per constantiam; faecundum, per instructionem.

Coelum coruscans, per bona exempla; liberale, per misericordiam; purissimum, per sanctitatem.

Sicque Ego, Deus coeli, ero Deus tuus, semper tecum, ad quaecumque perrexeris: plantabis, rigabis; et Ego incrementum dabo.

Feria secunda.

De gravitate peccatorum in sacerdotibus.

Fili, Christianus cum sis, peccatum, quasi colubrum fugere debes: quanto magis, cum sis sacerdos, illud debes abominari.

Odio mihi est homo peccans mortaliter: quanto plus Christianus: quanto magis sacerdos?

Iniquitas ipsius meam accendit iram. Exsurgit justitia mea, et clamat: Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes.

Si inimicus meus peccaret contra me, sustinerem utique. Sed si notus meus, qui mecum dulces capit cibos, delinquat, eum ferre non possum.

Amen, amen dico tibi: multa sustineo a peccatoribus et impiis; nullum tamen majus praejudicium, quam a Sacerdotibus peccantibus, patior.

Contremiscant ergo: quia eos districtius et inexorabilius judicabo, quam caeteros.

Qui in terra sanctorum iniqua gesserunt, non videbunt gloriam meam; sed potenter tormenta patientur.

Memento, fili, Nadab et Abiu erant ministri mei: vidi illos ignem alienum in thuribulis suis

imponentes: statimque ignem de coelo misi super eos, et consumpti sunt.

Memento Ozae levitae. Vidi eum indebito modo arcam foederis mei tangentem: et subito eum percussi; dum Philistaeis temere tangentibus peperci.

Memento filiorum Heli. Vidi eos praevaricantes, et interemi. O fili! time judicia mea, expavesce iram meam. Vigila, fuge peccatum.

Aperi, Domine, aperi cor meum, ipsique horrorem peccati, et odium iniquitatis magis ac magis infunde. Confige timore tuo carnes meas, ut non peccem tibi.

Verumtamen vide, Domine, infirmitatem meam, ad malum adeo proclivem. Sacerdos quidem sum; sed et homo sum, in iniquitate conceptus.

Adjuva me, dirige me, tene manum dexteram meam, et in voluntate tua deduc me.

Vide, Domine, furorem Satanae inimici mei. Ecce continuo, rugiens ut leo, circuit, quaerens, quem devoret. Eripe me de inimico illo.

Deus meus, ad te confugio: nisi tu me custodieris, frustra vigilabo, frustra me custodire conabor.

In te confido: protege me, defende me, et non peribo in infirmitate mea.

Feria tertia.

De poenitentia.

Ante te vita et mors, fili: hic coelum, illic infernum. In hanc vel istam aeternitatem cadas necesse est.

Vis autem infernum vitare? vis coelum lucrari? Poenitentiam agas oportet. Sine hac salvari te impossibile est.

Scriptum est enim: Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Vide: nullus excipitur.

Cave ergo, ne tibi illudas, dicens: mundus sum, nihil mihi conscius sum: poenitentia non indigeo, lex ista me non attingit.

Certe, fili, si dicis, quia peccatum non habes, ipse te seducis.

At video, dilecte, contristaris de verbo hoc: jugum istud tibi durum videtur, non suave.

O carissime! cogitas sicut homo.

Procul dubio si spiritualis esses, lubenti animo et cum integra submissione, imo cum gaudio et gratiarum actione praeceptum hoc susciperes, dicens: certe bonum est; quia non potest esse, nisi bonum, quod a Deo, summo bono, procedit.

Certe optimum est. Scio enim Salvatorem meum nihil praecipisse, nisi pro mea sanctificatione et salute.

Remedium hoc a summo Medico propinatum, naturae amarum videtur: sed sanitatem nunquam deficiendam confert.

Negotiatio haec paulisper operosa est: sed immensum, sed aeternum lucrum confert.

Molestum est, abstinere et sustinere: sed jucundum erit postea, aeterno convivio satiari.

Fili, nonne mercatores quotidie mare transcurrunt, multa pericula subeunt pro levi emolumento?

Tamen non conqueruntur: quinimo cum gaudio hoc faciunt, ad spem, ad lucrum, non ad pericula attendentes.

Si tu quoque Deum et coelum prae oculis haberes, non dubium, quin etiam poenitentiae laborem non reformidares. Ubi amor est, labor non est.

Nonne homines in agris, in vineis, in officinis pondus diei et aestus portant, et quidem cum hilaritate; non poenam, sed denarium respicientes?

Tu quoque, carissime, si aspiceres in remunerationem, procul dubio per patientiam curreres in regia poenitentiae via.

Nonne qui in agone contendunt ab omnibus se abstinent? Nonne aegroti dura solent servare jejunia?

Illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; isti, ut momentaneam recuperent valetudinem.

Tu quoque, dilecte, si ad gloriae coronam, si ad futuram incorruptionem attenderes, sine moerore poenitentiam ageres.

Nonne sapientes hujus saeculi noctes diesque in pervolvendis libris et arduis studiis consumunt?

Nonne milites per medios gladios, per medium sanguinem, per mortem currentes, omnia saeva hujus mundi fortiter contemnunt?

Illi quidem et isti, ut levem famam, inanem laudem, vel gradum aliquem in militia consequantur.

O serve piger! erubesce, quod pro Deo, pro coelo, pro summo bono facere non satagas, quod filii hujus saeculi pro vilissimo fumo adeo generose aggrediuntur.

At quanti sunt, dilectissime, poenitentiae labores in comparatione eorum, quae modo dixi tibi?

Quid emendatio? quid contritio? quid confessio? quid satisfactio, ad quam teneris, si comparentur cum laboribus, sudoribus, studiis, itineribus filiorum hujus saeculi?

Quid in comparatione abstinentiae, remediorum, amputationum, quibus aegroti se devovere non haesitant, ut sanentur? Quid? utique onus leve, jugum suave.

Et tamen dicis: durum est. Revera dura esset, et quidem durissima poenitentia, imo intolerabilis, si ea, quam a te exigo, tanta esset, quanta est peccatorum iniquitas.

Illa quippe, fili, immensa est: quia infinitum Deum offendit. At mihi proprium est misereri semper et parcere.

Unum peto, ubi possem millia exposcere: et si hoc unum solvas, totum dimitto debitum.

Et dicis: nimis est. O ingrate! nimis est? Ergone jam oblitus es dirissimae, quam ego pro te egi, poenitentiae?

Jejunavi, sanguinem sudavi, flagellatus fui, spinis coronatus, cruci affixus, mortuus. Haec sponte et cum gaudio pro te sustinui.

Tu autem vel unam lacrymulam profundere vereris! Tu ad ipsum poenitentiae nomen expavescis! cujus spiritus es?

Amen, amen, dico tibi: si vis discipulus meus esse, si vis post me venire, tolle poenitentiae crucem et sequere me.

O fili! num meliorem te aestimas patribus tuis, sanctis meis, qui, cum scirent regnum coelorum vim pati, et nonnisi a violentis rapi, ad deserta, quasi ad nuptias convolabant:

Ad jejunia, sicut ad epularum delicias procedebant, ad carnis austeras castigationes, quasi ad gratissimum balneum.

O si ii, qui tot praecellebant virtutibus, crediderunt, se per tales tribulationes in regnum Dei ingredi debere: quomodo tu pauper et miserabilis et caecus et nudus per aliam portam introire contendes?

Gratias tibi, Deus optime, qui sanctam, quae ad te ducit, viam mihi dignatus es aperire. Video, quam misericorditer agas mecum.

Certe potuisses me per durissima martyrii tormenta ad te vocare: et ecce per leves afflictiones purgatum me vis in coelum admittere.

En patres mei, martyres beati, multos cruciatus pro te jucundissime tulerunt; per ludibria, per verbera, per vincula, per carceres ambulaverunt; lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt: et ego miserrimus ne pedem quidem vellem movere?

Absit, Domine, absit. Saltem peccare cessabo: saltem occasiones dimittam: saltem gemam: saltem flebo: saltem confitebor.

Saltem juxta praeceptum abstinentias et jejunia servabo: saltem per patientiam et juges mortificationes corpus meum tam proclive ad peccandum castigabo.

Da mihi misericordiam, Pater, ut meliora adhuc aemuler charismata.

Da, ut tot amicorum tuorum vestigia sequens, mihi non parcam: sed studeam adeo ferventer me poenitentiae operibus sanctificare, ut purus et mundus merear coram te judicandus apparere.

Feria quarta.

De morte.

Dicit insipiens in corde suo: non est Deus. Non tamen dicit: non videbo mortem.

Etsi enim fide careat, saltem negare nequit id, quod carnalibus suis oculis intuetur: scilicet neminem in mundo esse, qui semper vivat.

Sed cum corruptus sit et abominabilis factus in desideriis suis, cum in impio sordium suarum coeno pacem habere velit, amaram mortis cogitationem longe a se facere conatur.

Dormiat, fili, dormiat scelestus ille, dicat, pax: sed brevi veniet, quam reformidat, turbatio, veniet finis ejus; et ego in interitu ejus disperdam illum, et scabellum pedum meorum ponam.

Et cum iniqua ejus desideria morte resecta perierint, vermem haereditabit non moriturum, ignemque inextinguibilem sortietur.

Tu autem, dilectissime, sapiens esto: et cum scias, statutum esse omnibus hominibus semel mori,

cum videas, omnes homines per mortis januam hucusque transivisse, et quotidie transire, dic intra te:

Certissime moriar, ineluctabiliter moriar: ergo domum meam disponere debeo. Hoc vere necessarium, hoc unum necessarium.

Fili mi, si, sicut absque ullo dubio scis, te esse moriturum, ita absque dubio famem horrendam brevi superventuram nosceres, quid faceres?

Num adeo stultus fores, ut repellens a te, tanquam amaram et tristem, calamitatis imminentis cogitationem, de colligendis et reservandis fructibus nequidem curares: sed dissipares eos, sed venderes; ut usque ad praedictum famis tempus luxuriose et hilariter viveres?

Iterum: si te videres morbo quodam lento correptum, et tam certo scires te ab illo perimendum fore, nisi congruis remediis契 utereris, quam certo scis, te aliquando a morte esse praeoccupandum:

Num adeo insanus esses, ut ne attentione quidem ad morbum data, remedia necessaria et nocivorum ciborum abstinentiam praetermitteres?

Certe contra maxima cura ac sollicitudine et famis calamitatem, et funestum morbi effectum praevenires, dicens:

O! qualis dolor mihi erit, ubi fames advenerit, si necessariam frugum copiam non seposuero! Qualis desolatio, ubi videro morbum prae negligentia mea incurabilem et mortalem fuisse effectum!

At crede mihi, carissime: longe amarior erit dolor tuus, longe profundior desolatio tua, cum mors adveniet, si domui tuae non disposueris.

Audi, audi, quas tunc effundes lamentationes! Heu mihi! inquies: non ambulavi, dum lucem habebam, et ecce jam venit nox, in qua non possum amplius operari.

Vae mihi! tot annis converti et agere poenitentiam potui; et ecce scelera mea adhuc cuncta mecum sunt ac mecum in pulvere dormient.

Heu mihi! toties vocavit me Dominus, toties me ad salutem operandam provocavit; et ecce non amplius misericordia ejus praeveniet me, quinimo jam in interitu meo ridebit et subsannabit me justus judex.

Vae mihi! non declinavi a malo, non feci bonum; et ecce jam appendar in statera, et inveniar minus habens.

Heu mihi! mortalem vitam unice dilexi; et ecce deficit: de aeterna non curavi, et ecce incipit.

Vae mihi! in terrenis totam spem, totum affectum posui; et ecce fugiunt: de inferno et coelo cogitare nolui; istud autem mihi clauditur, ille ineluctabiliter mihi patet.

Valete res, vale spes, valete amici, valete terra et omnia ejus, vale corpus: tibi solum superest sepulchrum, usque dum resurgens mecum tandem in inferno sepeliaris, ubi fletus, ubi stridor dentium aeternus erit.

O si sapuissem! o si novissima haec praevidissem! Audite coeli, audi terra; flectite Deum: Audi Domine et adhuc miserere: sine me adhuc paululum, ut plangam, ut confitear, ut poenitentiam agam, ut veniam consequar.

Sed aures Domini non fient amplius intendentes in vocem deprecationis tuae.

Sero nimis de profundis miseriae tuae clamabis, in iniquitate tua corrues et descendes in profundum abyssi.

Deus enim, qui ultionum Dominus est, Deus ultionum dicet: Finis super te, finis super te: veni et judicabo te juxta vias tuas, et reddam tibi juxta opera tua.

Vide, fili mi, vide, quantus in te tremor sit futurus, quando mortis hora tibi superveniet, si tu prius domui tuae non disposueris.

O si nondum disposuisti, quid adhuc moraris? Hodie vivis, at nescis, si diem crastinum habiturus sis.

Forsan, forsan hac nocte animam tuam Deus a te repetet: quid moraris, carissime, quid moraris?

Dic mihi: si angelus e coelo missus tibi appareret, diceretque: Adhuc quadraginta dies, et morieris; et quidem nisi poenitentiam egeris, morte peccatorum pessima morieris.

En sanus es, en tempus adhuc habes: gratia tibi a Deo offertur: noli ergo ultimos istos dies, quos immensa Dei clementia tibi concedit, per negligentiam perdere.

Quid tunc faceres, carissime? Nonne terribili nuntio commotus, statim et absque mora crimen relinqueres, ad luctum converteres, ad sacerdotem procederes, et in cilicio, in jejunio, in castigatione poenitentiam ageres?

Prudenter quidem, fili: sed audi me, si, quod dixi, tibi contingeret; si angelus tibi mortem tuam post quadraginta dies eventuram nuntiaret: saltem certus fores, istos dies tibi superesse: sicque conversionem tuam adhuc posses procrastinare.

Certo tamen non procrastinares, fili. Quanto minus igitur differre debes, cum nullum diem habeas securum, sed scias contra scriptum esse, et quidem videas quotidie contingere, quod hora, qua non putatur, Filius hominis veniat.

Vide, dilecte, quam merito dictum sit: Semper estote parati.

Attende, fili, ad verba. Non dicitur: praeparate vos; sed estote parati: quia neque cras, neque hodie tibi certo conceditur; et ne de momento quidem, quo ista legis, securus eris, nisi cum illud effluxerit.

Conclude ergo, quam stultum, quam insanum sit, tardare ad Dominum converti, et differre de die in diem.

Dilecte mi! tu mihi carissimus es, salutem tuam vehementer sitio, perditionem tuam supra modum reformido.

Absit, ut imparatus moriaris: absit, ut in pessimam peccatorum mortem incidas.

Eheu me, fili mi! si hoc tibi contingeret: Nulla enim redemptio ultra tibi superesset.

Fac igitur nunc, fac sine ulla dilatione ea, quae moriens facta fuisse voles.

Feria quinta.

De judicio.

„In fine hominis denudatio operum illius. Cuncta, quae fiunt, mi fili, adducam in judicium.“

„Quantus tremor est futurus,
Quando judex est venturus,
Cuncta stricte discussurus!
Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.
Judex ergo, cum sedebit,
Quidquid latet, apparebit,
Nil inultum remanebit.“

Quibus vero judicium durissimum fiet? Illis, mi fili, qui aliis praesunt. Cui multum dedi, multum requiram ab eo.

Meum est, mi fili, justificare et condemnare, nam ego statum et virtutem et gratias uniuscujusque discernere novi.

Aliter judicabo episcopos, aliter Praelatos, aliter Sacerdotes, aliter laicos, aliter subditos.

Nonne coeleste, fili, tenes officium? velut angelus Domini exercituum factus es. Tanquam angelum aut eligam, aut reprobrabo te.

A domo mea incipiam judicium. Dicam ad angelos meos: „Ite et incipite a Sanctuario meo!“ Quam ignominiosum tum erit, mi fili, si piscatores cum malis piscibus ejicientur foras; si operatores vineae meae cum sarmentis et infructuosis palmitibus succenduntur.

Terribile erit judicium; judicabo et justitias. De omni verbo otioso reddes rationem.

Multum tibi dedi, multum quaeram a te. Quot gratiae in vanum receptae! Quot paleae comburendae igni! Quam stricta ratio villicationis tuae! Tibi sacerdoti enim insuper credidi aliorum animas; sanguinem fratrum tuorum de manu tua exquiram.

Subditorum quidem culpas percutio per malum pastorem; pastorum vero vitia ferio per memetipsum.

Si reddenda erit ratio de his, quae quisque gessit in corpore suo; heu! quid fiet de his, quae gessit quisque in corpore meo, quod est ecclesia! De animabus populi, tibi commissi, poscam rationem in die tremendi judicii. Si perdideris eas, confusionis et mortis aeternae sententiam es subiturus.

Quam bonum igitur tibi, mi fili, si portaveris suave jugum meum tota vita tua; si acceperis crucem et secutus fueris me; atque sic sperare possis, te computatum iri inter filios Dei, patris mei, et inter Sanctos futuram sortem tuam.

Cogita hoc judicium frequenter: „Tuba mirum spargens sonum!" quotidie tinniat in auribus tuis! Quotidie fingas tibi in animo judicem me venientem in nubibus coeli!

Perpende saepius verba, quae tunc sum pronuntiaturus: „Venite benedicti Patris mei," et „Discedite a me maledicti, in ignem aeternum!

Ora cum attentione et humilitate."

Juste judex ultionis,
Donum fac remissionis,
Ante diem rationis.

Ingemisco tanquam reus,
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus.
Inter oves locum praesta,
Et ab haedis me sequestra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.

Feria sexta.

De damnatione malorum sacerdotum.

Si justus vix salvabitur, mi fili, impius et peccator, ubi parebunt?

Bonum erat Judae, si non esset natus. Nonne et satius foret sacerdotibus malis, non subsistere, quam acceptis divinis officiis, per reprobram vitam pravaque exempla his, quibus prodesse debuerunt, offendiculum iniquitatis et laqueum perpetuae damnationis existere?

Ostendens, peccata hominum longe majori supplicio expiari, dum a sacerdotibus, quam dum a privatis perpetrantur, mandavi ego, ut tantundem pro Sacerdotibus, quantum pro universo populo, sacrificium offeratur. Quod quidem quid aliud significat, quam Sacerdotis vulnera majore medicamento atque auxilio indigere, atque adeo tanto, quanto conjuncta simul universi populi vulnera indigent?

Qui enim novit voluntatem Domini sui, et non facit, vapulabit multis. Tuque, fili, nonne eam perbene nosti? Plurium rerum cognitio acerbiores peccatorum poenas efficit. Si ei, qui unam animam scandalizat, expedit, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris; qui tot animas scandalisat, et urbes integras, et plebes, viros, mulieres, pueros, cives, rusticos: quid pati merebitur, mi fili?

Tantus ad tuam poenam et cruciatum cumulus accedet, quantus prius in te honor collatus est. Si enim ille, qui paradisi sortitus erat habitaculum, propter unum delictum tanta post honorem pertulit mala: quam tu veniam sperare poteris, si ad serpentem cucurreris post columbam?

Nonne tu prae aliis superno lumine collustraris, mi fili; ad altiorem gradum provectus es, majoribus gratiae donis ditaris?

Hoc interest inter unumquemque laicorum et te, quod illi paene de se solis redditúri sunt rationem, tu autem de te, et de omnibus illis. Ideo major est sarcinà, sed bene portata magnam gloriam comparat; infideliter autem gestata ad gravissimam praecipitat poenam.

Quam horrendum tibi erit, incidere in manus meas, judicis viventis, et ex mensa Angelorum, ex cathedra evangelica detrudi in infernum?

Malos vineae meae cultores male perdam, et vineam meam locabo aliis agricolis. Vide, mi fili, ut dignus inveniaris agricola.

Illi enim indigni poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus. Descendent in illam terram tenebrosam, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat; ubi vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.

Cave, ne quando exclames: O aeternitas infelix, aeternitas luctuosa! aeternitas horrenda!

Ante te nunc mors et vita; coelum et infernum: elige! Cave a peccato, mi fili! timeas me, qui possum animam et corpus mittere in gehennam; secede a via, quae ducit ad interitum; ministerium tuum imple, ne tanquam piger ejiciaris in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium.

O! cogita, quantum cruciareris in illa flamma, si insensatus non ambulares in via, quam aliis indicasti; si perditio tua ex te ipso foret? si optimi Patris mei faciem, quam tam multi tuae curae commissi in aeternum contuentur, tibi nunquam intueri liceret:

Utinam saperes, fili, et intelligeres, ac novissima praevideres!

Perpende illa, quae per Psalmum praedixi: „Heu, Domine! quis novit potestatem irae Tuae, et prae timore Tuo iram Tuam dinumerare? Confige timore Tuo carnes meas, a judiciis enim Tuis timui.“

Sabbato.

De mercede bonorum Sacerdotum.

Pretiosa in conspectu meo mors Sanctorum meorum.

Pio Sacerdoti conscientia reddit testimonium, quod sit filius meus. — Cum in hoc mundo te tanquam peregrinum et exulem habueris, non formidabis in hora mortis, separari a rebus creatis.

Quam placidam efficient mortem tuam frequens ac pia Missae celebratio, ferventes Communiones, crux mea, quam imitatus es; zelus Domus meae, Sacramenta morientium; internae Spiritus Sancti consolationes; piorum orationes!

Quantopere, mi fili, haec judicii timorem minuunt, augent spem ejus, inflammant caritatem et desiderium possidendi coelum.

O te beatum, quum appropinquante fine tuo dicere poteris: „Tempus resolutionis meae instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.“

Quum bene ministraveris, bonum gradum tibi acquires.

Quantum praemium te servum fidelem et prudentem manebit! Constituam te super omnia bona mea. Ibi mercedem pro omnium salute accipies, si hic pro omnium incolumitate vigilaveris.

Qua mercede fruuntur Apostoli, vera illa mundi lumina, quorum laudes tellus et astra concinunt! Qua gloria fruitur S. Carolus Borromaeus, qui tam multos de peccati morte transtulit ad vitam! Quanto gaudio in aeternum afficiuntur S. Franciscus Salesius, S. Franciscus Xaverius, innumerique alii, qui tam multis erant auctores beatitudinis aeternae!

Sunt nunc in domo Patris mei; requiescunt ibi a laboribus suis; ibi lucet eis lux perpetua; ibi laetitia sempiterna super capita eorum.

Ibi honorificantur a Patre, ibi sunt in manu mea, in pace; ibi fulgent, sicut sol, in aeternum; ibi abstergeo omnem lacrymam ab oculis eorum. Ibi copiosa est merces eorum in coelis; centuplum eorum, quae me secuti reliquere, accipiunt, et vitam aeternam possident.

Sedent in throno, quia vicerunt; percipiunt immarcescibilem gloriae coronam a me, Principe pastorum, qui potens sum, depositum eorum servare in diem illum.

Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavi ego diligentibus me.

Vident Deum non per speculum, aut in aenigmate, sed facie ad faciem.

Nonne hic dicis, fili? „Moriar mortem justorum, et fiant novissima mea horum similia.“ Vis mori mortem justorum? Vive vitam justorum.

Ad magna praemia pervenire non poteris, nisi per magnos labores.

Delectet ergo mentem tuam magnitudo praemiorum, sed non deterreat certamen laborum.

Licet culta terra nullum afferat fructum, dummodo tu, cultor, nullum subtraxeris laborem, et ejus et tuus Dominus bonam voluntatem tuam benedictione sua non frustrabit. Tune oblitus es, quod praedixi: „Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum proprium laborem, non secundum rerum eventum?“

Hic, si bonus es Sacerdos, honoraris, ut fidelium caput; ibi meum, qui sum omnium Sacerdotum caput, futurus es clarius membrum.

Audies, mi fili, quum bene praefueris, ex ore meo: „Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui!“

Qui vero alius tuus finis, quam pervenire ad regnum meum, cujus nullus est finis?

Quum exercitia spiritualia nunquam sine confessione finiantur, ad confessionem vel generalem, vel ab ultima generali, vel annuam, prout directori conscientiae tuae magis expedire videbitur, instituendam, ea te diligentia praepares, tanquam postrema haec tibi facienda foret: praecipue vero actus perfectae contritionis elicere studeas, eosdemque saepius iteres. Exinde cum summa sinceritate animi tui occultissima quaeque confessario tuo aperias; humiliterque monita et consilia ejus excipias; ac postea fideliter exsequaris. Pro examine conscientiae saepius fixis animi oculis adspice illam veri Sacerdotis effigiem pag. 336. vel utaris hoc speculo conscientiae:

Examen conscientiae.

Hic discutiat meditans mentem, qualiter peccaverit contra Deum, contra proximum, et contra se ipsum.

Contra Deum.

Perscrutando, qua praeparatione, corporis compositione, spiritus attentione et devotione persolverit horas Canonicas; et an nihil harum omiserit, transposuerit, sine causa interruperit. Qua praeparatione, qua devotione et puritate Sacrificium celebraverit: an non fuerit in celebrando nimium praeceps; et an celebrata missa etiam debitas Deo gratias rependerit. Qua intentione, diligentia, gravitate, et in quo statu cunctas ministerii sui functiones implerit: an in administrandis Sacramentis ritus Dioecesanos exacte observaverit: qua solicitudine propositum diurnum, sive virtutis acquirendae sive vitii exstirpandi exsecutus fuerit: an non leviores noxas, quia tantummodo veniales sunt, parvi fecerit: an omnes actiones ad Deum, sola ipsi placendi intentione, retulerit: an in praesentia Dei per sacros affectus constanter ambulârit: an non fuerit ingratus erga Deum pro beneficiis acceptis, tepidus in studio perfectionis. —

Contra Proximum.

Examinando, an omnia charitatis et justitiae officia ex animo ipsi reddiderit: an non ex tepore aut aversione laboris neglexerit petentibus administrare Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae, vel ad horum susceptionem subditos suos inducere: an non similiter neglexerit juventutem ad sufficientiam instruere, ac parentes ad debitam hujus educationem commonere: an non fuerit durus in domesticos et operarios: an non durus in pauperes: an non seditiose pacem et concordiam inter fratres, aut parochianos per-

turbârit: an non forte levibus de causis nimium excandescens proximum scandalizaverit, aut ad iram provocaverit: an non verbis cum ipso contenderit, malum illi voluerit, verbis eum despexerit, defectus ejus evulgârit, actiones, etiam pias reprobarit, zelum improbârit, ludibrio habuerit, aut invidiam spiritualem de eo conceperit: an non aegre tulerit ipsius dignitatem et laudem: an non ob levissimam aut forte praesumptam offensam lingua aut opere se vindicare studuerit: an non fuerit negligens in reprimendis moribus despicientiae proximi, aversionis, indignationis, invidiae, odii etc.; an non fuerit lentus in resistendo suspicioni aut judicio temerario: an non nimis leviter et indiscrete sibi credita aperuerit: an non neglexerit exercere in proximum opera misericordiae, sive corporalis, sive spiritualis, cum tamen facile potuisset aut debuisset.

Contra se ipsum.

Inquirendo, an non nimium indulserit corporis commoditati, lecto ultra necessitatem inhaerendo, tempus otio, potationibus, ludis, visitationibus terendo, quod lectioni, studio, meditationi; aut charitatis operibus dari potuisset: an non excesserit in cibo aut potu: an non in mensa plus studuerit gulae, quam corporis necessitati satisfacere, cibos delicatiores exquirendo et communiores fastidiendo: an non nimium praesumpserit de propria prudentia: an non sibi ipsi nimis complacuerit; gesta arroganter expanderit; in vestitu, in incessu vanus fuerit: an non neglexerit sensus custodire, carnem mortificare, ex qua incuria oriri potuissent vel subortae sunt tentationes contra Angelicam puritatem: an non contra inspirationes supernas, contra proposita facta frequentaverit occasiones ex se quidem indifferentes, in quibus tamen certo scit, se tentationi-

bus subjici, nec semper illaesum exire: an non avidius, et sine causa exquisiêrit consortium talium personarum, erga quas solet carnaliter affici: an non nimium frequenter etiam ex honesto fine adiêrit certas personas, aut domos, unde potuisset proximus scandalizari, aut occasionem sumere obmurmurandi: an non inter studendum avidius et forte pravo cum affectu incubuerit materiis de luxuria tractantibus: an non legerit aut retinuerit libros scandalosos: an non fuerit scurrilis et obscoenus in verbis, aut similia libenter audierit: an non blanditiis et fixo adspectu in se aut aliis cogitationes impuras aut motus carnales excitârit, aut excitare potuerit: an non in sacro Tribunali nimium familiariter et affectuose egerit cum sexu, attentius inspexerit, curiosius interrogaverit, exponens se periculo gravium tentationum, an non fuerit negligens in repellendis illicitis cogitationibus, et an non illis fortasse dederit occasionem graviora peccata contra castitatem committendi, de quibus pudor tractare vetat, conscientia ipsa dictabit: Utinam nec nominentur in nobis!

Conclusio Exercitiorum spiritualium.

Peractis exercitiis gratias age Altissimo pro praestitis tibi beneficiis, pro mediis et resolutionibus ad emendationem tibi suggestis: in his quoque exsequendis ut coelitus adjuveris, et in finem confirmeris, humiliter pete per preces sequentes:

Hymnus Ambrosianus.

Te Deum laudamus: te Dominum confitemur.
Te aeternum Patrem: omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: tibi Coeli et universae Potestates.

Tibi Cherubim et Seraphim: incessabili voce proclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt Coeli et Terra: Majestatis gloriae tuae.

Te gloriosus Apostolorum chorus.

Te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum: sancta confitetur Ecclesia.

Patrem immensae Majestatis.

Venerandum tuum verum et unicum Filium.

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriae Christe,

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem: non horruisti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo: aperuisti credentibus regna coelorum.

Tu ad dexteram Dei sedes: in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni: quos pretioso sanguine redemisti.

Aeterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domine: et benedic haereditati tuae.

Et rege eos: et extolle illos usque in aeternum.

Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in saeculum: et in saeculum saeculi.

Dignare Domine die isto: sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine: miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos: quemadmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi: non confundar in aeternum.

V. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

V. Domine, averte faciem tuam a peccatis meis.

R. Et omnes iniquitates meas dele.

V. Cor mundum crea in me, Deus.

R. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.

V. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum.

R. Et non dominetur mei omnis injustitia.

V. Eripe me de inimicis meis, Deus meus.

R. Et ab insurgentibus in me libera me.

V. Esto mihi in Deum protectorem et in Domum refugii.

R. Ut salvum me facias.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae Majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis; ut pariter indulgentiam nobis tribuas benignus et pacem.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quaesumus Domine, lumine tuae claritatis illustra: ut videre possimus, quae agenda sunt; et quae recta sunt, agere valeamus.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus: ut qui in tua protectione confidimus, cuncta nobis adversantia te adjuvante vincamus.

Deus, in te sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris: et quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, praesta auxilium gratiae tuae; ut in exsequendis mandatis tuis, et voluntate tibi et actione placeamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

O. a. m. D. gl.

Index I.

Cultus Spiritus Sancti.

Cultus B. M. Virginis.

Cultus Sanctorum.

Index II.

Orationes pro diversis Ecclesiae Ordinibus.

Preces Sacerdotis speciales.

Preces pro Confessione.

Preces pro salute Ecclesiae, et pro omnibus vivis ac defunctis.

Precationes pro defunctis.

Orationes diversae.



